LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS
16 S '94

SYMBOLAE STRABONIANAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

RICARDUS KUNZE

CHEMNITIENSIS.

LIPSIAE
TYPIS O. SCHMIDTII.
MDCCCXCII.

PARENTIBUS CARISSIMIS

SACRUM.

I.

De fontibus, quibus Strabo in libro XVI conscribendo usus sit.

Priusquam inquirere incipiam, de quibus auctoribus Strabo in singulis libri XVI paragraphis componendis pendeat, quaestio generalis mihi videtur solvenda esse, utrum totius libri dispositionem suo debeat ingenio an in hac quoque auctorem quendam secutus sit. Ut non ad alios provocem libros operis Straboniani, in hoc quidem pro certo habeo geographi cuiusdam opinioni Strabonem sese applicasse. Quem fuisse Eratosthenem hisce mihi probatur causis:

Strabo ipse (XI, 1, 1, pg. 490 Cas) testatur se in describenda Asia stare a partibus Eratosthenis (*ὅπερ οὖν Ἐρατοσθένης ἐφ' ὅλης τῆς οἰκουμένης ἐποίησε, τοῦθ' ἡμῖν ἐπὶ τῆς Ἀσίας ποιητέον*). Et ut Eratosthenes transgressus ad meridionalem Asiae partem exponendam initium facit ab India (Berger,[1]) pg. 224 sqq.), deinde transit ad Arianam (Berger, pg. 224 et 238 sqq.), tertio loco de Babylonia disputat (Berger, pg. 253 sqq.), ita Strabo quoque in libro XV primum agit de India, altero loco de Ariana, in XVI libro pergit ad Babyloniam pertractandam.

Atque operae pretium est adnotare Strabonem eum ordinem, quem in paragrapho 1 quasi in prooemio pronuntiat, accuratissime servare. Aturia enim, quae primo loco commemorata est, item primo loco uberius describitur (§ 3); deinde Assyria quae proprie nominatur, exponitur inde a § 8; ad verba autem, quae

[1]) Die geographischen Fragmente des Eratosthenes, Leipzig 1880.

leguntur *τὰ τῆς Μεσοποταμίας ἔθνη τὰ περὶ Γορδυαίους καὶ τοὺς περὶ Νίσιβιν Μυγδόνας*, spectant §§ 21 sqq. (*Μεσοποταμία . . . ὠνύμασται . .*, cf. § 23 *οἱ Μυγδόνες . . .*, *ἐν οἷς ἐστιν ἡ Νίσιβις*); verba vero *τῆς πέραν τοῦ Εὐφράτου πολλή, ἣν Ἄραβες κατέχουσι*, denuo suscipiuntur §§ 26 sqq. (*τὰ πρὸς μεσημβρίαν κεκλιμένα τῆς Μεσοποταμίας . . . ἔχουσιν οἱ σκηνῖται Ἄραβες*).

Denique voces in fine § 1 positae *οἱ ἰδίως ὑπὸ τῶν νῦν λεγόμενοι Σύροι μέχρι Κιλίκων καὶ Φοινίκων καὶ Ἰουδαίων καὶ τῆς θαλάττης τῆς κατὰ τὸ Αἰγύπτιον πέλαγος καὶ τὸν Ἰσσικὸν κόλπον*, testimonio sunt, quantopere singulae partes huius libri inter se cohaereant. Spectant nimirum ad caput alterum, in cuius paragrapho 1 simillima exarata sunt: *ἡ δὲ Συρία πρὸς ἄρκτον μὲν ἀφώρισται τῇ Κιλικίᾳ . . . πρὸς δύσιν δὲ τῷ Αἰγυπτίῳ τε καὶ Συριακῷ πελάγει μέχρι Ἰσσοῦ*. Praeterea hoc loco fines, quibus Syria determinabatur, eadem ratione enumerantur, qua antecedentis capitis § 8 fines Babyloniae, et Eratosthenem omnino hoc modo dicendi usum esse evidenter elucet e XV, 1, 11 pg. 689.

In paragrapho subsequente (2) Strabo ut in capite 1, iterum singulas partes Syriae pronuntiat, et in proximis hanc seriem narrandi diligenter observat: *μέρη αὐτῆς τίθεμεν . . . τὴν Κομμαγηνὴν* (§ 3) *καὶ τὴν Σελευκίδα καλουμένην τῆς Συρίας* (§ 4—15), *ἔπειτα τὴν κοίλην Συρίαν* (§ 16—21), *τελευταίαν δ' ἐν μὲν τῇ παραλίᾳ τὴν Φοινίκην* (§ 22—33), *ἐν δὲ τῇ μεσογαίᾳ τὴν Ἰουδαίαν* (inde a § 34 usque ad finem capitis).

Similiter ut capita 1 et 2, capita 3 et 4 quoque inter se cohaerent, quibus Strabo Arabiam depicturus est. Et postquam in § 1 capitis 3 in universum de terminis Arabiae dixit, in sequentibus §§ satis habet disputare de orientali fine Arabiae, nim. de sinu Persico, ita ut in capite demum quarto descriptionem ipsius Arabiae incohet. Ceterum haec capita non solum inter se, sed cum antecedentibus quoque coniuncta esse demonstratur verbis primis capitis 3 (*ὑπέρκειται τῆς Ἰουδαίας καὶ τῆς κοίλης Συρίας . . . πρὸς νότον Ἀραβία πᾶσα*), quae pertinent ad extremas §§ capitis 2.

Ergo cum satis certum sit conexum inter singulas partes libri XVI intercedere artissimum et dispositionem

in prooemio indicatam optime servari, non falsum videtur concludere hunc in modum: si earum paragraphorum, quas iam citavi, unam tantum probaverimus reddere Eratosthenis sententiam, necessario de ceteris idem statuendum est et simul concedendum Strabonem in tenore enarrandi sequi Cyrenaeum.

Proinde compares cum 2, § 1 *ἡ Συρία ... ἀφώρισται ... πρὸς νότον τῇ εὐδαίμονι Ἀραβίᾳ καὶ τῇ Αἰγύπτῳ* verba Eratosthenica 4, § 2 *φησὶ δέ*, scil. Eratosthenes, *περὶ τῆς προςαρκτίου καὶ ἐρήμης, ἥτις ἐστὶ μεταξὺ τῆς τε εὐδαίμονος Ἀραβίας καὶ τῆς Κοιλοσύρων καὶ τῶν Ἰουδαίων.* — Deinde afferam verba 2, § 1 *ἀπὸ θαλάττης δ'ἐπὶ τὸ ζεῦγμα τοῦ Εὐφράτου στάδιοί εἰσι κτλ.* Voces *ἀπὸ θαλάττης* intelligendas esse *ἀπ' Ἰσσοῦ*, elucet e fine paragraphi, ubi extant verba *μέχρι Ἰσσοῦ*, quibus quasi reditus fit ad initium descriptionis. Atqui non ignoramus Eratosthenem computationes instituisse ab urbe Isso (Berger, pag. 171 et 175). Ergo si alicui, Eratostheni licet hanc paragraphum addicere. — Tum in fine paragraphi primae cp. 3 vestigia quaedam Eratosthenis videntur inveniri; velut conferas verba *ταύτης* (scil. *τῆς εὐδαίμονος Ἀραβίας*) *τὸ μὲν προςάρκτιον πλευρὸν ἡ λεχθεῖσά ἐστιν ἔρημος* cum cp. 4 paragrapho 2 (Berger pg. 288 sqq.): *φησὶν* (*Ἐρατοσθένης*) *περὶ τῆς προςαρκτίου* (scil. *Ἀραβίας*) *καὶ ἐρήμης*, et imprimis compares verba *τὸ δ' ἑῶον* (scil. *πλευρὸν*) *ὁ Περσικὸς κόλπος* cum capitis 3 paragrapho 6: *περὶ μὲν οὖν τῆς κατὰ Πέρσας θαλάττης, ἣν ἑῴαν πλευρὰν ἔφαμεν εἶναι τῆς εὐδαίμονος Ἀραβίας, τοιαῦτα εἴρηκεν Ἐρατοσθένης.*

Hoc sane concedendum est haec argumenta minime tantum valere, ut omnis dubitatio prorsus extinguatur. Sed quemnam omnino Strabo sequi potuit praeter Eratosthenem? Quis, si auctores mente reputaveris, quos Strabonem adhibuisse constat, opus geographicum tam uber amplumque Eratosthene excepto confecit? Nemo, quantum equidem perspicio! — Nam, ut eos prorsus repulsem, qui Straboni ipsi dispositionem libri tribuere velint, argumentum validum promam e cp. 1, § 1: Statuere enim Strabonem hac in paragrapho aliorum scriptorum auxilio prorsus abstinuisse et ex eis ipsis, quae subinde

prolaturus est, materiam hausisse, propterea vetamur, quod hoc in prooemio complura commemorantur nomina gentium, quae in descriptione ipsa Assyriae omnino non nominantur, velut *Ἀπολλωνιᾶτις, Καλαχηνή, Χαλωνῖτις, Δολομηνή, Χαζηνή*. Ex quibus nominibus *Δολομηνὴ* et *Χαζηνὴ* ne in alio quidem libro Straboniano rursus occurrunt, atque etiam *Δολομηνὴ* a nullo praeterea scriptore antiquo collaudatur. Ergo nemo negabit Strabonem hac quoque in paragrapho auctorem quendam usurpasse atque eum quidem, qui haut ita parva fuerit doctrina, scil. Eratosthenem. Et ut imagine utar, Strabo nisus fundamento, quod Eratosthenes praebuit, aedificium operis sui eo modo perpetravit, ut materiam quae utilis videbatur, ab aliis quoque sumeret. Quinam vero illi auctores fuerint in libro XVI, meum est munus praecipuum investigare.

De **cp 1 paragrapho 1,** quam ex Eratosthene ortam esse iam studui causis probare, non habeo, quod adiungam.

Paragraphum 2 et prima verba § 3 (usque ad *μετὰ τὴν τῶν Σύρων κατάλυσιν*) continere additamentum ax alio scriptore haustum vel ex eo elucet, quod argumentum non tam geographicum quam historicum est. Praeterea, cum Eratosthenes § 1 verba faciat de Assyriis, auctor huius adnotationis historicae non formam usurpat quae est *Ἀσσύριοι*, sed *Σύροι*, ut apparet e voculis *οἱ ἱστοροῦντες τὴν Σύρων ἀρχὴν κτλ* [1]) . . . — Auctor Strabonis fortasse fuit Posidonius. Neque enim teste Strabone (XVI, 4, 27 pg. 784) eum fugit *τὰς τῶν ὀνομάτων μεταπτώσεις καὶ μάλιστα τῶν βαρβαρικῶν πολλὰς εἶναι*. Deinde Posidonius optime scivit Syros pristinis temporibus in Asia minore habitasse (cf. Strab. *δοκεῖ τὸ τῶν Σύρων ὄνομα διατεῖναι . . . τὸ παλαιόν*), id quod Strabo ipse testatur XIII, 4, 7, pg. 627: *οἱ δὲ τοὺς Σύρους Ἀρίμους δέχονται, οὓς νῦν Ἀραμαίους λέγουσι, τοὺς δὲ Κίλικας τοὺς ἐν Τροίᾳ μεταναστάντας εἰς Συρίαν ἀνῳκισμένους, ἀποτεμέσθαι παρὰ τῶν Σύρων τὴν νῦν λεγομένην Κιλικίαν*. Quae verba esse

---

[1]) cf. Nöldeke in Hermae volum. V, pg. 443 sqq. (*Ἀσσύριος, Σύριος, Σύρος*.)

Posidonii cum Nöldekio (l. l. pg. 461) vel ex eo concludas, quod *Ἀραμαῖοι* commemorantur, quod nomen Graecis per Posidonium demum innotuit. Neque vero ullus scrupulus de Posidonio auctore relinquitur comparato Posidonii frgto 86: *τοὺς Ἀρίμους . ., οὓς φησι Ποσειδώνιος δέχεσθαι δεῖν μὴ τόπον τινὰ Συρίας ἢ τῆς Κιλικίας ἢ ἄλλης τινὸς γῆς, ἀλλὰ τὴν Συρίαν αὐτήν. Ἀραμαῖοι γὰρ οἱ ἐν αὐτῇ.*

Cuius Posidonius ipse in hac narratiuncula pedisequus sit, ut non potest summa cūm fiducia affirmari, ita aliquid habet verisimilitudinis de Clitarcho cogitare. Qui re vera de Assyriis nomine utebatur, quod est Syri; id quod cognoscere licet e Clitarchi frgt 2 (edit. Muell.) *Κλείταρχος . . . τελευτῆσαί φησι Σαρδανάπαλλον μετὰ τὴν ἀπόπτωσιν τῆς Σύρων ἀρχῆς.*

Post hunc digressum Strabo redit ad ordinem in § 1 propositum. Nimirum de Aturia agitur usque ad finem paragraphi 4. Sed in his haud ita multa videtur Strabo debere Eratostheni (usque ad verba fere *τῇ Νίνῳ περίκειται*). In proximis enim verbis narratio copiosa de Gaugamelis fit, oppido illo ex historia Alexandri Magni clarissimo. Atqui quoniam Strabo ipse (II, 1, 9, pg. 70) profitetur se de Alexandro Magno opusculum fecisse (*ἡμῖν ὑπῆρξεν ἐπὶ πλέον κατιδεῖν ταῦτα, ὑπομνηματιζομένοις τὰς Ἀλεξάνδρου πράξεις*), non ineptum videtur conicere Strabonem, quibuscunque geographicorum locis de rebus ad Alexandrum pertinentibus disputet, hausisse ex sua memoria, non denuo scriptores Alexandri Magni inspexisse, quippe quorum relationes iam in hypomnemate illo conficiendo excerpserit. Quae quamquam ita se habent, tamen nolimus quaestionem omittere, qui quoque loco Alexandri scriptor Straboni materiam praebuerit. — In hac quidem § 3 eorum, quae de Gaugamelis traduntur, auctorem primarium fuisse Aristobulum persuasum habeo. Idem fere sentit Muellerus ad Aristobuli fragmentum 11. Hoc desumptum est ex Arrian. Anabas. VI, 11, 5, neque quemquam effugiet, quam similia Arriani verba sint narrationi Strabonis: *Ἄρβηλα τοῦ χώρου, ἐν ᾧ τὴν ἐσχάτην μάχην Δαρεῖός τε καὶ Ἀλέξανδρος ἐμαχέσαντο, οἱ μὲν τὰ πλεῖστα ξυγγράψαντες λέγουσιν, ὅτι ἑξακοσίους σταδίους*

ἀπέχει, οἱ δὲ τὰ ἐλάχιστα, ὅτι ἐς πεντακοσίους. ἀλλὰ ἐν Γαυγαμήλοις γὰρ γενέσθαι τὴν μάχην πρὸς τῷ ποταμῷ Βουμώδῳ λέγει Πτολεμαῖος καὶ Ἀριστόβουλος. πόλις δὲ οὐκ ἦν τὰ Γαυγάμηλα, ἀλλὰ κώμη μεγάλη, οὐδὲ ὀνομαστὸς ὁ χῶρος οὐδὲ ἐς ἀκοὴν ἡδὺ τὸ ὄνομα. ἔνθεν δέ μοι δοκεῖ πόλις οὖσα τὰ Ἄρβηλα ἀπηνέγκατο τὴν δόξαν τῆς μεγάλης μάχης.[1])

Paragraphum **4** item ad scriptorem rerum Alexandri sive potius ad Strabonis hypomnema spectare arbitror. Hoc concludo imprimis e ratione loquendi quae est: ὃ προςωνόμασεν Ἀλέξανδρος κτλ. Et insuper aptum est conferre Curt. Ruf. V, 1, 16: ‚Alexander quartis castris (scil. inde ab Arbelis, ut apud Strabonem μετὰ δὲ Ἄρβηλα) ad Mennin urbem pervenit. Caverna ibi est, ex qua fons ingentem bituminis vim (Strab. ἡ τοῦ νάφθα πηγή) effundit‘. At quaestio, quemnam Strabo ipse praecipue exscripserit auctorem, propterea videtur sine fructu institui, quia omnia magis in universum dicta sunt, quam quae certas porrigant ansas. Nam sine dubio omnes fere, qui res ab Alexandro gestas prodiderunt, haec enuntiare poterant.

Iam transit Strabo in **§§ 5—7** ad urbem Babylonem describendam. In **§ 5** quidem historicum Alexandri adhibitum esse docetur verbis: ἣν Ἀλέξανδρος ἐβούλετο ἀνασκευάσαι κτλ. Praeterea pari fere modo de rebus, quae hic proferuntur, narrat Diodorus II, 7, 3 sqq. Et quamquam de fontibus, quibus Diodorus initio libri II usus sit, magna est dissensio virorum doctorum,[2]) tamen de eis Diodori locis, quos ad Strabonis paragraphum allaturus sum, res dubia esse non potest (cf. Krumbholz, l. l. pg. 340), quia hos sumptos esse a Clitarcho nomine ipsius allato probatur. Sunt enim Diodori verba haec (= Clit. frgt. 4): ἡ Σεμίραμις . . . περιεβάλετο τεῖχος τῇ πόλει σταδίων ἑξήκοντα καὶ τριακοσίων, . . . ὥς φησι Κτησίας

---

[1]) Muellerus praeterea comparat Diod. XVII, 53; Curt. IV, 9; itin. Alex. cp. 57; Plut. Alex. 31. Qui locus extremus vel eo dignus est qui afferatur, quia hic eodem modo, quo apud Strabonem, origo nominis *Γαυγάμηλα* derivatur. Neque igitur dubito affirmare verba Plutarchi item ex Aristobuli memoria fluxisse.

[2]) cf. Jacoby in Mus. Rhen. vol. XXX, pg. 555 sqq. et Krumbholz ibid. XXXXI, pg. 321 sqq.

ὁ Κνίδιος, ὡς δὲ Κλείταρχος καὶ τῶν ὕστερον μετ' Ἀλεξάνδρου διαβάντων εἰς τὴν Ἀσίαν τινὲς ἀνέγραψαν, τριακοσίων ἑξήκοντα πέντε σταδίων κτλ. Ergo nullo modo ambiguum esse potest, quin Strabonis quoque relatio, in qua idem numerus (365 stad.) exaratur, ad Clitarchum tamquam fontem primarium referenda sit. Ceterum supersedeo totum locum Diodori exscribere atque satis habeo affirmare originem Clitarcheam probari verborum *ἡ Βαβυλὼν — ἐν πεδίῳ* per Diodori § 2, *κύκλον ἔχει τοῦ τείχους τριακοσίων ἑξήκοντα πέντε* Diod. § 3, *ὕψος τῶν μὲν μεσοπυργίων πήχεις πεντήκοντα* Diod. § 4, *ἡ πάροδος — ῥᾳδίως* Diod. § 4.

Praeterea nonnihil adiuvamur Curt. Ruf. V, 1, 24 sqq., quem locum item pendere e Clitarchi memoria inter omnes viros doctos constat (satis habeo unum afferre argumentum: cur circuitus Babylonis 365 sit stad., a Curtio eadem ratione explicatur qua a Diodoro). Ita verba quoque, quae leguntur *πάχος* usque ad *τριάκοντα*, probantur ut Clitarchea (Curt. Ruf. V, 1, 25) nec non *ὕψος — τῶν πύργων ἑξήκοντα* (Curt. § 26). — Descriptio hortorum pensilium, quae apud Strabonem sequitur, sine dubio ex eodem auctore petita est, cum Curtius et Diodorus eadem praebeant quae Strabo.

Clitarchum censeam usui fuisse usque ad *τῷ βασιλεῖ*. In eis enim, quae subsequuntur usque ad *Μεγάλη πόλις*, recentiorem fontem praesto fuisse necessarium est, id quod existimare iubemur vel verbis: *ἐκεῖνος*, scil. *Σέλευκος ὁ Νικάτωρ, καὶ οἱ μετ' αὐτὸν ἅπαντες.* Sed quamquam haec ita sunt, tamen verba Clitarchi quodammodo usurpata videntur; velut Strabonis verba *κατήρειψαν τῆς πόλεως τὰ μὲν οἱ Πέρσαι, τὰ δ' ὁ χρόνος* optime congruunt cum Diod. II, 9, § 9: *ἀλλὰ ταῦτα μὲν οἱ τῶν Περσῶν βασιλεῖς ὕστερον ἐσύλησαν. τῶν δὲ βασιλείων καὶ τῶν ἄλλων κατασκευασμάτων ὁ χρόνος τὰ μὲν ὁλοσχερῶς ἠφάνισε, τὰ δ' ἐλυμήνατο.* Atqui verba *καὶ δὴ καὶ νῦν* documento sunt Strabonem se applicasse eiusdem fere aetatis auctori. Neque quisquam videtur magis in promptu esse quam Posidonius, quippe qui testibus fragmentis 21, 30, 62 de rebus Babyloniorum egerit. Deinde Posidonius reapse de urbibus a Seleuco Nicatore conditis verba fecit, ut

perspicere licet e frgto 59 (*Σελεύκου τοῦ Νικάτορος κτίσματα*). Postremo loco commemorem verba huius paragraphi *Σελεύκεια νῦν γέγονε Βαβυλῶνος μείζων*, quodammodo adumbrari 2, § 5 *Σελεύκεια ἡ ἐν Πιερίᾳ . . οὐ πολὺ λείπεται καὶ δυνάμει καὶ μεγέθει Σελευκείας τῆς ἐπὶ τῷ Τίγρει.* Quo loco Strabonem insistere Posidonii vestigiis infra studebo demonstrare.

Et Posidonium hac in § a Strabone usurpatum esse in ea quoque parte credo, cuius primum fontem fuisse Clitarchum supra evincere conatus sum. Ne enim arbitrer initio Clitarchum ipsum inspectum esse, eo impedior, quod usque ad *Μεγάλη πόλις* omnia tam arte inter se cohaerent, ut vix disceptare possimus, ubi Clitarchi memoria desinat, incipiat Posidonii.

Ea vero, quae inde a verbis *διὰ δὲ τὴν τῆς ὕλης σπάνιν* usque ad exitum paragraphi leguntur, prorsus diversam prae se ferunt indolem. Agitur nimirum de rebus physicis geographicisve. Cui auctori haec adiudicarem, haesitavi, donec verba legi *παραπλήσια δὲ καὶ τὰ ἐν Σούσοις καὶ τῇ Σιτακηνῇ.* Quibus verbis luce est clarius provocari ad alium Strabonis locum, qui extat XV, 3, 10 pg. 731. Ergo si enucleaverimus, a quo Strabo in XV, 3, § 10 conscribenda pendeat, magna cum probabilitate eundem fontem statuere licebit eius quoque partis, de qua disputatur. Vogelius quidem [1]) pg. 46 sq., postquam dixit de Aristobulo auctore optimo iure cogitari posse, quia praecipue de structura domorum agatur, — iure enim ex eo, quod Alexander sepulcrum Cyri Aristobulo reficiendum tradiderit (Strab. XV, 3, 7, pg. 730) colligi eum artis aedificandi peritum omniumque, quae ea contineantur, studiosum fuisse —, contendit magis sibi probari Polycletum haec memoriae prodidisse. Recte enim Muellerum animadvertisse reliquiarum Polycleti maximam partem spectare ad res geographicas, et praeterea de urbe Susis unum Polycletum a Strabone testem citari. Equidem vero facere non possum, quin affirmem Aristobulum fontem esse, cum causas, quas

---

[1]) in libro, qui inscribitur ‚de fontibus, quibus Strabo in libro XV conscribendo usus sit', 1874.

Vogelius de Aristobulo auctore protulit, gravissimas, quas de Polycleto, imbecillas esse persuasum habeam. Nam Aristobulum quoque in rebus geographicis versatissimum fuisse ex multa farragine fragmentorum liquet (velut frgt. 11, 16, 17, 22). Praeterea vero Aristobulum quoque Susis moratum esse ex Athenaeo cognoscere licet (XII, pg. 513, e): *Κληθῆναι δὲ τὰ Σοῦσά φησιν Ἀριστόβουλος κτλ.*

Et cum Aristobulum constet eorum gnarum fuisse, quae ad domus extruendas pertinent, nonne hac ipsa § 5 Aristobulus auctor commendatur, cum praecipue tales res enarrentur? Ceterum hoc quoque loco Strabo Aristobulum fortasse non ipsum perlegit, sed hausit ex hypomnemate suo.

Paragraphus **6**, qua de incolis quibusdam urbis Babylonis disseritur, multo artius cohaeret cum paragraphi 5 parte priore quam eiusdem pars posterior, modo Aristobulo assignata. Quare vel hac de causa cum verisimilitudine quadam hanc § 6 tribuere possumus auctori prioris tomi paragraphi 5, nim. Posidonio. Qui de Chaldaeis apud Alexandri scriptores permulta invenire poterat. Neque enim ignotum est Alexandrum commercia cum Chaldaeis habuisse (cf. Arr. anab. III, 16, 3). Strabonis ipsius opusculo, quod de Alexandro scripsit, hanc paragraphum dare ea de causa summopere dubito, quia Seleuci Chaldaei mentio fit, cuius notitiam scriptores Alexandri habere non poterant. Deinde permultum a vero aberraremus, si existimaremus Strabonem ipsum e mathematicorum libris illa nomina exhibuisse, quae sunt Cidenas et Naburianus et Sudines. Immo extremam partem paragraphi (inde a verbis fere *μέμνηνται δὲ καὶ τῶν ἀνδρῶν*) Strabo videtur desumpsisse ex eo auctore, cui omnes eiusmodi adnotationes ad patriam virorum illustrium pertinentes debet, de quo vide § 16.

E quo fonte paragraphus **7** manaverit, in qua de urbe Borsippis agitur, adhuc mihi non contigit, ut investigarem, quia testimonia plane desunt. Omnino sola ea de causa haec urbs videtur commemorari, quia in § 6 *Βορσιππηνοὶ* afferuntur.

Paragraphum 8, qua in universum disputatur de finibus Babyloniae, Eratostheni tribuendam esse his ex causis censeo: Eis, quae sunt *ἀπὸ τῆς ἠοῦς ὑπό τε Σουσίων καὶ Ἐλυμαίων καὶ Παραιτακηνῶν*, simillima legimus in XI, 12, § 4, quam pendere ex Eratosthene suo loco mihi videor probaturum esse: *μετὰ τὸ Ζάγριον ἐκδέχεται ὑπὲρ τῆς Βαβυλωνίας ἥ τε τῶν Ἐλυμαίων ὀρεινὴ καὶ ἡ τῶν Παραιτακηνῶν*, atque item cum XI, 12, 4 verbis *μετὰ τὸ Ζάγριον ἐκδέχεται . . . ὑπὲρ τῆς Μηδίας ἡ τῶν Κοσσαίων*, hoc loco optime congruunt verba *ἀπὸ τῶν ἄρκτων ὑπό τε Ἀρμενίων καὶ Μήδων μέχρι τοῦ Ζάγρου καὶ τῶν περὶ αὐτὸ ἐθνῶν*. Denique ad verba *Ἀράβων τῶν Μεσηνῶν* quodammodo spectat II, 1, 31, pg. 84: *μετὰ ταῦτα τοῖς ὁρίοις τῆς Μεσήνης συνάπτον*. Hunc autem locum Eratosthenis reddere sententiam, vel inde videtur apparere, quod *αἱ σφραγῖδες* commemorantur, quas ab Eratosthene excogitatas esse inter omnes constat.

Paragraphos **9—11** una tractem, quia in eis de una eademque re agitur, nim. de fluviis Babyloniae. Ergo, cum vel primo obtutu alicui in mentem veniat totas has paragraphos ad unum redire fontem, operae pretium est perscrutari, utrum haec coniectura testimoniis probetur an refellatur. Quantopere autem hae paragraphi inter se cohaereant, intelligas ex verbis § 9: *Ἀλέξανδρος ἐπεμελήθη καὶ τῶν διωρύγων*, quae repetuntur sive potius magis amplificantur § 11 notionibus *φησὶ δ' Ἀριστόβουλος τὸν Ἀλέξανδρον . . . ἀνακαθαίρειν τὰς διώρυγας*. Igitur Strabo in § 11 disertis verbis Aristobulum fontem praedicat; proinde videamus, num eiusdem in §§ quoque 9 et 10 vestigia lateant. Primum examinemus enuntiatum: *μετὰ τοὺς Ἰνδικοὺς οὗτοι λέγονται δευτερεύειν κατὰ τὰ νότια μέρη τῆς Ἀσίας οἱ ποταμοί* (scil. *Εὐφράτης καὶ Τίγρις*). Quae verba caveamus, ne putemus contradicere Aristobuli sententiae, qualis apparet e fragmento 17 (= Strab. XI, 7, 3, pg. 509): *Ἀριστόβουλος καὶ μέγιστον ἀποφαίνει τὸν Ὦξον τῶν ἑωραμένων ὑφ' ἑαυτοῦ κατὰ τὴν Ἀσίαν πλὴν τῶν Ἰνδικῶν* (cf. Arr. anab. III, 29, 2; VII, 16, 3). Et tum demum has voces recte interpretari videmur, cum sumimus secundum Aristobulum maximos Asiae fluvios esse Indicos, secundum locum obtinere Ochum et

Oxum, tertium Euphratem et Tigrin, ita ut in australi quidem parte Asiae reapse Euphrates et Tigris *μετὰ τοὺς Ἰνδικοὺς δευτερεύωσιν.*

Deinde ne ea quidem vocabula impedimento sunt, quae leguntur *ὁ ἐπὶ Βαβυλῶνα ἀνάπλους πλειόνων ἢ τρισχιλίων σταδίων.* Quae Nearchi quoque opinioni respondere, nemo negabit, qui eius frgt. 35 (= Strab. XV, 3, 5, pg. 729; cf. Arr. Ind. 40, 9; Plin. n. h. VI, § 30) inspexerit. Qui vero hoc usus testimonio affirmet in hac Strabonis paragrapho, de qua agitur, non Aristobulum, sed Nearchum usurpatum esse, propterea nimis cito atque adeo temere iudicare videtur, cum ex alio Strabonis loco (II, 1, 26, pg. 80) apertum sit minime Nearchum solum hanc habuisse sententiam, sed alium quoque scriptorem, nim. Eratosthenem. Ceterum in §§ 9—11 Aristobulo adscribendis adiutorem habeo Luedeckium, qui dissertationem scripsit de fontibus, quibus usus Arrianus Anabasin composuit (stud. Lipsiens. vol. XI, pg. 57). Arrianus enim anab. VII, 7 tam similia praebet, ut cum Luedeckio non dubitem eidem Aristobulo hanc Arriani paragraphum tribuere: *Ἀλέξανδρος . . . ἔπλει ἐς Ὤπιν, πόλιν ἐπὶ τοῦ Τίγρητος ᾠκισμένην. ἐν δὲ τῷ ἀνάπλῳ τοὺς καταῤῥάκτας τοὺς κατὰ τὸν ποταμὸν ἀφανίζων ὁμαλὸν πάντη ἐποίει τὸν ῥοῦν, οἳ δὴ ἐκ Περσῶν πεποιημένοι ἦσαν, τοῦ μή τινα ἀπὸ θαλάσσης ἀναπλεῦσαι εἰς τὴν χώραν αὐτῶν νηΐτῃ στόλῳ κρατήσαντα.*

Deinde apud Strabonem exundationes Euphratis referuntur et haec quoque verba Aristobulo deberi veri simillimum est, quia eadem fere narrantur ab Arriano (anab. VII, 21, § 2—5), et Luedeckius l. l. pg. 58 non sine gravissimis causis contendit Arr. VII, 19, § 3 usque ad 22, § 1 Aristobulo assignandes esse. Ergo liquet totam Strabonis paragraphum 9 Aristobuleam esse.

Neque aliter res se habet in § 10, cum tota hac in paragrapho nihil aliud fiat, nisi ut de fluviis illis porro disputetur. Hic conexus artissimus, qui est inter paragraphum 9 et 10, demonstratur vel vocibus § 10: *Εὐένδοτος οὖσα ἡ γῆ καὶ μαλακή* (cf. § 9: *βαθεῖα ἡ γῆ καὶ μαλακὴ καὶ εὐένδοτος*). Insuper conferendum est Arr. VII, cp. 21. Quod ex Aristobuli mente exortum esse nemo

negabit, cum mente reputaverit in Arr. § 6 occurrere verba *προελθόντι ὅσον σταδίους τριάκοντα*, quae a Strabone exhibeantur in § 11, id est in aperto Aristobuli fragmento (*ἀκὸ σταδίων τριάκοντα ὑπόπετρον λαβόντα χωρίον*). Cum vero ea, quae apud Arrianum inde a capitis 19 § 3 paragrapho illi 6 capitis 21 antecedunt, per voces *ταῦτα ἀπαγγελθέντα ἐπήγαγεν Ἀλέξανδρον ὠφελῆσαί τι τὴν χώραν τῶν Ἀσσυρίων*, coniuncta sint cum hac ipsa §, iure ac merito concludimus tota haec capita Aristobuli esse, id quod iam Luedeckium contendisse supra commemoravi.

De § 11 nihil aliud dicendum est, nisi eam a Muellero haberi fragmentum 41 Aristobuli atque praeterea operae pretium esse rursus in comparationem vocare Arr. anab. VII, cpp. 19—21. Neque iam opus videtur commemorare verisimillimum esse Strabonem non Aristobulum ipsum excerpsisse, sed per hypomnema illud de Alexandro scriptum illius memoriam in opus geographicum pervenisse.

Item ut §§ 9—11, §§ **12** et **13** quoque similitudine argumenti inter se coniunctae sunt (tractantur *αἱ λίμναι αἱ πρὸς τῇ Ἀραβίᾳ*). Atqui initium quidem paragraphi 12 (usque ad *καὶ τὰ βάραθρα*, cf. Berger, pg. 264), quo Strabo Eratosthenem diserte dicit, procul dubio spectat ad Cyrenaeum. Sed videamus, quomodo res se habeat in posteriore parte: Post verba *καὶ τὰ βάραθρα* sententia Eratosthenis modo prolata graviter castigatur atque reprehenditur. Sed num haec vituperatio a Strabone ipso excogitata sit, mihi quidem valde est dubium. Nam cum per se Strabo vix is erat, qui suis ipsius viribus fisus adversarius existeret Eratosthenis, tum non desunt vestigia in hac paragrapho, quibus probari videatur Strabonem etiam in hac reprehensione auctorem quendam secutum esse. Nam ansa quaedam datur vocibus *ἢ πλείους τῶν ἑξακισχιλίων σταδίων διανύειν*. Qui numerus inde a quo loco computetur, e Strabonis verbis quamquam suspicari possumus, tamen non satis apparet. Sed aliqua lux his tenebris affertur, si conicimus in fonte, ex quo Strabo hausit, illum numerum explicatum fuisse, Strabonem vero, quanta erat negligentia, argumentationem silentio plane praetermisisse. Deinde alia quoque re

Strabo necopinatus auctorem a se usurpatum esse profitetur. In fine enim paragraphi verba facit: *οἱ μὲν δὴ τοιαῦτα λέγουσι,* quamquam in antecedentibus solus Eratosthenes citatur et finem paragraphi Strabo fingit a se ipso ortum esse. Quis vero Straboni materiam dedit? Mea quidem sententia apud Strabonem de duobus tantum scriptoribus cogitare licet, qui Erathosthenis verba in iudicium vocaverint: de Hipparcho et Posidonio. Cum vero inde a libro 3 Strabonis nullus extet locus, quo Hipparchus ipse adhibitus videatur esse, solus Posidonius, quantum video, relinquitur. Et optime accidit, quod e Strab. VIII, 8, 4, pg. 389 scimus Posidonium Eratostheni simillima in re contradixisse: *περὶ τοῦ Ἀλφειοῦ καὶ τοῦ Εὐρώτα τὸ συμβεβηκὸς παράδοξον εἴρηται . . . . οἱ μὲν οὕτω λέγουσιν. Ἐρατοσθένης δέ φησι.* Quamquam hic Posidonii nomen non diserte commemoratur, tamen sine dubio a Strabone exscriptus est. Nam verba principii spectant ad VI, 2, 9, pg. 274 sq.: *ὀψέ ποτε τόν τ' Εὐρώταν καὶ τὸν Ἀλφειὸν ἀναδίδωσιν, . . . εἴρηται δὲ καὶ τὸ λεγόμενον περὶ τοῦ Τιμαύου,* quae verba e Posidonio manasse demonstratur V, 1, 8, pg. 215: *Ποσειδώνιος δέ φησι ποταμὸν τὸν Τίμαυον κτλ.* Et omnino Posidonius libentissime de talibus rebus physicis, quales in hac § traduntur, disputavit, id quod vel fragmento eius 76 (= Strab. I, 3, 16, pg. 58) confirmatur.

Ab exordio autem paragraphi **13** (usque ad verba *καὶ πλημμυρεῖν*) aliam audimus sententiam, scil. Polycleti (frgt. 1), quae item opposita est opinioni Eratosthenis. In reliqua vero parte Polycletus repellitur, atque hic quoque refutatio eo modo fit, ut conicere possimus Strabonem non ex sua opinione, sed ex alius scriptoris Polycletum reprehendere. Cum vero Eratosthenes ipse defendatur, fortasse res ita est, ut is ipse Polycletum aggressus sit. Nam re vera Eratosthenem Polycleti sententias recensuisse nec non castigasse apparet e Polycleti fragmento 5 (= Strab. XI, 7, 4, pg. 509 sq.). Et aliae accedunt res ad nostram coniecturam stabiliendam. Enuntiatis enim, quae sunt inde a *προςτιθεὶς τὸ μῆκος* usque ad *ἑξακισχιλίων σταδίων,* Strabo simulat se in descriptione Armeniae longitudinem singularum

partium Euphratis Tigridisque commemorasse. Sed minime hoc congruit cum eis, quae reapse apud Strabonem leguntur. Omittit nimirum Amasenus commemorare, *ὅσον τὸ ἐν μεγάλῃ Ἀρμενίᾳ διέξεισι καὶ τῇ μικρᾷ*, et *τὸ ἐκ τῆς μικρᾶς Ἀρμενίας* usque ad *ἕως Θαψάκου*. Solum *ὅσον τὸ λοιπὸν (ἀπὸ Θαψάκου) μέχρι Βαβυλῶνος* memoriae proditur (XVI, 1, 22 et II, 1, 26) et *μέχρι τῆς ἐκβολῆς* (II, 1, 26). Atqui omnes hi loci deprompti sunt ex Eratosthene, ut apertis verbis Strabo profitetur. Et praeterea ipsam descriptionem cursuum Euphratis Tigridisque item Eratostheni infra attributurus sum (XI, 12, 3; cf. II, 1, §§ 24 sqq., pg. 79 sq., ubi Eratosthenis nomen diserte dicitur).[1]) — Ergo hic quoque res videtur ita se habere: Strabo Eratosthenem exscribit atque tantae indulgens negligentiae, ut eius notionem *ὡς ἐδηλοῦμεν ἐν τῇ περιηγήσει τῆς Ἀρμενίας* suo opere recipiat, quamquam ablitus est *τὸ μῆκος τοῦ ποταμοῦ προστιθέναι*.

Quae cum ita sint, eventus inquisitionis hic est: Strabo in §§ 12 et 13, exceptis verbis paragraphi 12 *οὐκ οἶδα* usque ad finem (quae sententiam Posidonii referunt), — pendet ex Eratosthene.

Paragraphi **14** fontem mihi videor indagasse, nimirum Aristobulum (atque adeo Strabonis hypomnema Alexandri Magni). Nam primo loco id concedendum est ad scriptorem melioris iudicii maiorisque ingenii, qualis exempli gratia erat Eratosthenes, hanc narrationem de mirabili illa fecunditate Babyloniae omnino non quadrare. Atqui ansa praebetur enuntiato, quod legitur: *φασὶ εἶναι καὶ Περσικὴν ᾠδήν, ἐν ᾗ τὰς ὠφελείας τριακοσίας καὶ ἑξήκοντα διαριθμοῦνται*. Idem fere narratur a Plutarcho in quaestion. conviv. VIII, 5. Sane quidem cogitet quispiam Plutarchum Strabone ipso usum esse auctore; sed haec sententia cadere videtur, quoniam apud Plutarchum subinde haec leguntur: *ἴδιον δὲ παρὰ ταῦτα, καὶ μηδενὶ συμβεβηκὸς*

---

[1]) Magno cum gaudio video XI, 14, 2, qui locus simillima exhibet paragrapho 3 cp. 12 l. XI, Eratostheni dari a Fabricio (Theophanes von Mytilene und Quintus Dellius als Quellen der Geographie des Strabon; Strassburg 1888, pg. 28 sqq.).

ἑτέρῳ τὸ μέλλον λέγεσθαι . φοίνικος γὰρ ξύλον ἂν ἄνωθεν ἐπιθεὶς βάρη πιέζῃς, οὐ κάτω θλιβόμενον ἐνδίδωσιν, ἀλλὰ κυρτοῦται πρὸς τοὐναντίον, ὥςπερ ἀνθιστάμενον τῷ βιαζομένῳ. Strabo autem eandem rem memoriae prodit XV, 3, 10, pg. 731 atque eisdem fere verbis: *ἴδιον δέ τι πάσχειν τὴν φοινικίνην δοκόν . στερεὰν γὰρ οὖσαν, παλαιουμένην οὐκ εἰς τὸ κάτω τὴν ἔνδοσιν λαμβάνειν, ἀλλ' εἰς τὸ ἄνω μέρος κυρτοῦσθαι τῷ βάρει.* Atqui perperam iudicaremus arbitrati Plutarchum has duas narrationes ex Strabone deprompsisse, apud quem non proximae extant, immo magno diremptae sunt intervallo; sed probabilius est Plutarchum haec coniuncta invenisse apud eum scriptorem, qui ipse utroque loco Straboni fons erat. Atqui iam in paragrapho 5 tractanda contra Vogelium contendi XV, 3, 10 fortasse redire ad Aristobulum. Ergo nihil aliud mihi videtur relinqui, nisi ut existimemus hanc quoque paragraphum, de qua verba facio, ad Aristobulum pertinere. Et cum Plutarchi locum illum Aristobulo damus, minime peccamus contra verisimilitudinem, quia Plutarchus saepenumero huius narrationibus usus est, ut ex Aristobuli fragmentis liquet 1a, 1b, 1c, 4, 7, 28a, etc.

In paragrapho **15** primum occurrit fragmentum Eratosthenis (*περὶ ἧς Ἐρατοσθένης μὲν οὕτως εἴρηκεν*). Bergerus pg. 265 Eratosthenem valere iure arbitratur usque ad *τῆς ὀπτῆς πλίνθου.* Deinde verba *ἄλλοι φασὶν* testimonio sunt alium adhiberi fontem, quem fuisse Posidonium hac de causa censeo. Verba: *ἄλλοι καὶ τὴν ὑγρὰν ἐν τῇ Βαβυλωνίᾳ γίνεσθαί φασιν,* optime quadrant cum Posidonii verbis in fine paragraphi positis *τοῦ ἐν τῇ Βαβυλωνίᾳ νάφθα τὰς πηγὰς κτλ,* cum secundum ipsius Strabonis verba *ἡ ὑγρά,* scil. *ἄσφαλτος,* nominetur *νάφθα.* Enuntiationem autem, quae sequitur *περὶ μὲν οὖν τῆς ξηρᾶς εἴρηται κτλ.,* arbitror nihil aliud esse nisi Strabonis adnotationem, quae spectet ad Eratosthenis voculas *βῶλοι μεγάλαι πρὸς τὰς οἰκοδομιὰς ἐπιτήδειαι* et repetat ea, quae in § 5 enarrata sunt (*οἱ πεττοὶ . . . ἐξ ἀσφάλτου κατεσκευασμένοι*). — Tum per verba *φασὶ δὲ καὶ πλοῖα* Strabo pergit auctorem suum exscribere, neque video, cur diversum eum statuamus esse ab eo, qui significatus

est in enuntiato *ἄλλοι—φασίν*, scil. a Posidonio. Dubito autem quam maxime ea, quae inde a *φασὶ δὲ καὶ πλοῖα* usque ad *πυκνοῦσθαι* extant, eidem tribuere fonti, qui praesto est in proximis (*τὴν δὲ ὑγρὰν* usque ad *περιεστῶτες*). Vetari enim videor vel eo, quod in his enuntiatis diversum genus dicendi adhibetur, nimirum oratio recta quam vocamus, cum in enuntiatione *φασὶ δὲ καὶ πλοῖα* usque ad *πυκνοῦσθαι* oratio obliqua usurpetur. Deinde argumentum quoque enuntiatorum diversum est. Nam in Posidonii illa relatione agitur de utilitate asphalti, in illis reliquis vero fabula quaedam profertur de bituminis periculoso ignis amore. Hanc Strabonem debere Aristobulo, id est suo ipsius hypomnemati, persuasum habeo. Scriptor enim Alexandri Magni significatur vel nomine Alexandri commemorato. Deinde eadem fabula servatur apud Plutarchum (Alex. cp. 35). Atqui apud hunc cum illa fabula artissimo coniuncta conexu sequitur narratio de vehementi fervore Babyloniae: *καὶ γάρ ἐστιν ἡ Βαβυλωνία σφόδρα πυρώδης, ὥςτε τὰς μὲν κριθὰς χαμόθεν ἐκπηδᾶν κτλ.* Apud Strabonem autem XV, 3, 10, pg. 731 simillimam legimus relationem: *ἡ Σουσὶς ἔκπυρον τὸν ἀέρα ἔχει καὶ καυματηρὸν . . . τὰς δὲ κριθὰς διασπαρείσας εἰς τὸν ἥλιον ἅλλεσθαι* (id quod Meinekius iure ac merito scripsit pro corrupta notione *ἀλεαίνεσθαι*), et quamquam Strabo hoc loco verba facit de Suside, Plutarchus vero de Babylonia, tamen negem hoc leve discrimen impedimento esse, ne eundem statuamus esse fontem Strabonis atque Plutarchi. Atqui illum locum libri 15 Strabonis (3, 10, pg. 731) me tribuere Aristobulo iamiam est adnotatum. Ergo veri simile est apud Plutarchum non solum ea, quae de calore Babyloniae, sed ea quoque, quae de asphalto commemorantur, respicere ad Aristobulum, et propterea hunc quoque Strabonis locum, quem tractamus.

Finem autem paragraphi (inde a *Ποσειδώνιος δὲ φησι*) facit fragmentum Posidonii (62).

Paragraphus **16**, in quam nunc inquirendum est, ex auctore satis recenti videtur exhibita esse, testibus verbis *νῦν δὲ Σελεύκεια* et *οἱ τῶν Παρθυαίων βασιλεῖς*. Quodsi quaerimus, cui auctori Strabo haec debeat, for-

tasse de Apollodoro Artamiteno cogitare licet. Hic enim uberrime egit de rebus Parthorum, quod Strabo ipse confitetur II, 5, 12, pg. 118: *ἀπήγγελται δ' ἡμῖν ὑπὸ τῶν τὰ Παρθικὰ συγγραψάντων τῶν περὶ Ἀπολλόδωρον τὸν Ἀρταμιτηνόν.* Fons adhibitus est a Strabone imprimis in libro XI, sed non in hoc solo, ut liquet e fragmento 6, quod extat Strab. XV, 1, 3 pg. 686 (cf. Vogel, l. l. pg. 48). Simili autem ratione atque hoc loco, de quo disputo, de hibernaculo regum Parthorum agitur XI, 13, 1 et hanc paragraphum non iniuria Fabricius (l. l. pg. 17 sq.) Apollodoro videtur vindicasse. Quamquam est aliquid discriminis inter illum locum et hanc §. Secundum enim illum locum reges Parthorum degunt non Ctesiphonte, sed Seleuciae. Tamen hac discrepantia non prohibeor hanc quoque Strabonis paragraphum Apollodoro Artamiteno attribuere. Sic enim puto hanc differentiam explicari posse, ut statuamus hoc loco memoriae tradi accuratiorem et diligentiorem narrationem quam verbis illis libri XI. Facillime enim loco, quo non tam opus erat subtilem adhibere rationem loquendi, pro Ctesiphonte Seleucia hiberna Parthorum regum appellari poterat, cum ex Plinio (n. h. VI, § 122) notum sit Ctesiphontem minimum afuisse a Seleucia et quasi suburbium fuisse: ‚Ctesiphontem iuxta tertium ab ea (scil. Seleucia) lapidem condidere Parthi' (id est intervallo $3^1/_2$ fere chiliometrorum). Quantopere vero verba Strabonis spectent ad auctorem, cuius interfuerit Parthorum reges omni modo laudibus efferre et ab opprobriis defendere, id est ad ipsum Apollodorum Artamitenum, cui, ut de rebus Parthicis scripsit, ita secundum naturam hominum materia quam tractabat, cordi fuerit vel facta sit, id praecipue liquet, cum Strabonis verba comparaveris cum Plinii l. l. Cum enim Strabo verbis utatur: *ταύτην*, scil. *Κτησιφῶντα, ἐποιοῦντο χειμάδιον οἱ τῶν Παρθυαίων βασιλεῖς φειδόμενοι τῶν Σελευκέων, ἵνα μὴ κατασταθμεύοιντο ὑπὸ τοῦ Σκυθικοῦ φύλου καὶ στρατιωτικοῦ*, Plinius plane contrarium in modum narrat: ‚Babylon ad solitudinem rediit exhausta vicinitate Seleuciae ob id conditae a Nicatore . . . invicem ad hanc hauriendam Ctesiphontem . . . condidere Parthi. —

Cui alterum dimidium paragraphi (inde ab *ὥςπερ δὲ*

Βαβυλωνίαν) assignandum sit, prorsus tenebris obrutum est atque omnino negem fontem indagari posse, priusquam enucleatum sit, a quonam Strabo magnum illum numerum adnotatiuncularum acceperit, quae in geographia de patriis virorum clarorum extant (ut hoc loco *ἀπὸ τῆς Σελευκείας . . . καθάπερ Διογένη τὸν στωικὸν φιλόσοφον*).

In §§ **17 et 18** conscribendis Strabo iterum videtur secutus esse Apollodorum Artamitenum. Quod enim attinet ad § 17, nonnihil videntur valere verba: *ἔστι δὲ καὶ Ἀρτεμίτα πόλις ἀξιόλογος, διέχουσα πεντακοσίους τῆς Σελευκείας σταδίους*; neque enim ad quemquam alium magis quam ad Artamitenum quadrat, quod computatio quaedam instituitur ab Artamita. Quid quod Strabo ipse aperte hoc testatur XI, 11, 7, pg. 519? (*ἀπὸ τῆς Ὑρκανίας ἐπὶ Ἀρτεμίταν τὴν ἐν τῇ Βαβυλωνίᾳ στάδιοί εἰσιν ὀκτακισχίλιοι, καθάπερ εἴρηκεν Ἀπολλόδωρος ὁ ἐκ τῆς Ἀρτεμίτας.*)

Deinde Strabo progreditur ad gentes quasdam rapaces commemorandas idque simillima ratione ei, quae XI, 13, 6, pg. 524 et XV, 3, 12, pg. 732 de eisdem populis adhibetur. Atqui paragraphum illam libri 11 Apollodoro Artamiteno in posteris equidem assignabo; locum autem libri XV Vogel l. l. pg. 48 eidem attribuit. Proinde quid restat, nisi ut hanc quoque Strabonis paragraphum Appollodoro adiudicemus?

Quodsi hunc in modum de fontibus paragraphi 17 iudicavimus, non secus, si modo nobis constare volumus, iudicium facere debemus de subsequente § 18. Primum enim per verba *Κοσσαῖοι μὲν οὖν* rursus suscipiuntur verba paragraphi 17 *ἡ Κοσσαία*. Deinde non desunt similitudines inter hanc paragraphum et XI, 13, 6 et XV, 3, 12, locos illos verisimiliter Apollodoreos; exempli gratia conferas, quaeso, haec verba:

hoc loco	XI, 13, 6
Κοσσαῖοι μὲν οὖν εἰσι τοξόται τὸ πλέον, καθάπερ καὶ οἱ συνεχεῖς ὀρεινοί, προνομεύοντες ἀεί . . . τοῖς γοῦν Ἐλυμαίοις συνεμάχουν μύριοι καὶ τρισχίλιοι πολεμοῦσι πρός τε Βαβυλωνίους καὶ Σουσίους.	*ὁρίζεται . . . τοῖς Κοσσαίων ὄρεσι ληστρικῶν ἀνθρώπων, οἳ τοξότας μυρίους καὶ τρισχιλίους παρέσχοντό ποτε Ἐλυμαίοις συμμαχοῦντες ἐπὶ Σουσίους καὶ Βαβυλωνίους.*

Tum hoc quoque loco studium palam fit Parthorum regnum quam maxime efferendi et vituperationes repulsandi. Quare auctor quamquam dicit Parthorum regem ad bellum Elymaeis inferendum motum esse cupiditate magnas divitias adipiscendi, tamen statim haec mitigat, cum verba facit, tamquam Elymaei reapse sub potestate Parthorum fuerint, sed rebus novis studuerint (*ἀκούων τὰ ἱερὰ πλούσια παρ' αὐτοῖς, ὁρῶν δ' ἀπειθοῦντας*).

Hoc Apollodori Artamiteni fragmentum valere arbitror usque ad *δυναστεῖαι μικραί*. Quae subinde sequuntur usque ad finem paragraphi, nihil aliud sunt nisi adnotatio Strabonis ipsius. Nam, ut ipse diserte profitetur (*ἔφαμεν*), ea repetit, quae iam tractata sunt, nim. in § 8. Id est, recurrit his verbis Strabo ad fundamentum, quod toti libro subiecit: ad Eratosthenem Praeterea comparationis causa inspicienda sunt verba XI, 12, 4, quae item ut § 8 ad Eratosthenem spectare mihi videntur.

In § **19** secundum extremas notiones paragraphi 18 Strabo incohat descriptionem Adiabenes. Hic unum eundemque fontem adhibitum esse usque ad *μέχρι τῆς τῶν Παρθυαίων ἐπικρατείας διέμεινε* censeo propter similitudinem argumenti, quod tractatur. Cum vero ex verbis iam laudatis (*τοῦτο καὶ μέχρι τῆς τῶν Παρθυαίων ἐπικρατείας διέμεινε*) eluceat omnia referri ad Parthorum regnum, fortasse non nimiae fiduciae indulgeo suspicatus haec item ut §§ praecedentes Straboni ab Apollodoro Artamiteno praebita esse.

In eo enuntiato vero, quod subsequitur inde a *τῶν μὲν οὖν Μήδων* usque ad *εἴρηται*, mea quidem sententia Strabo solum iterat ea, quae iam XI, 14, 15 commemoravit (cf. *ὡς ἐν τοῖς Ἀρμενιακοῖς εἴρηται*).

Ex ultimis verbis rursus apparet Strabonem Eratosthenis imitari seriem ordinemque enarrandi. Nam verba *ἡ μὲν οὖν Ἀδιαβηνὴ τοιαύτη· περὶ δὲ τῆς Μεσοποταμίας ἐροῦμεν ἐφεξῆς*, spectant ad § 18 *ἀπὸ δὲ δύσεώς ἐστιν ἡ Ἀδιαβηνὴ καὶ ἡ Μεσοποταμία*. Sed cum Mesopotamia inde a § 21 demum describatur, vel per se liquet paragraphum **20** esse additamentum, et Strabo ipse hoc aperit verbis: *ἐπιόντες ἐπὶ μικρὸν πρότερον τὰ λεγόμενα*

περὶ τῶν ἐθῶν τῶν παρὰ τοῖς Ἀσσυρίοις. Huius § 20 fontem arbitratus Posidonium confido verum me indagasse.

Nam verbis *διαιτώμενοι παραπλησίως τοῖς κατὰ τὴν Γεδρωσίαν* adluditur ad XV, 2, 14, pg. 726 *ἡ Γεδρωσία διαφέρει μικρὸν τῆς τῶς Ἰχθυοφάγων, ὥςτ' ἀκαρπία κατέχει πολλάκις.* Atqui hunc locum originem cepisse e Posidonio Vogel l. l. pg. 40 quamquam dubitanter suspicatur.

Summae vero auctoritatis sunt prima verba *τἆλλα μὲν οὖν ἔοικε τοῖς Περσικοῖς.* Ergo luce est clarius mores Assyriorum comparari cum Persicis, qui XV, 3, 13 sqq. uberrime pertractantur. His autem §§ Vogel in philol. volum. 41, pg. 522 Posidonio attribuit. Neque igitur aliud quidquam videtur licere de ea § statuere, quae tractatur. Postremo loco non omittam afferre Posidonium omnino tales morum institutorumque descriptiones valde adamavisse. Exempli gratia provocem ad fragmenta 53, 57, 30.

In §§ **21—27** expositio profertur Mesopotamiae, ut iam commemoravi. Ergo cum Strabo hoc modo pristinum ordinem enarrandi denuo amplectatur, vel hac de causa in promptu est Eratosthenem fontem existimare. Et praeterea alia praesto sunt argumenta, quibus haec suspicio nonnihil confirmetur. Perscrutemur singula!

In paragrapho **21** si non omnia, at certe nonnulla ad illum redire demonstratur Eratosthenis nomine bis citato. Bergerus quidem l. l. pg. 265 sola ea, quae leguntur a verbis *διαῤῥεῖ δ' ὁ Τίγρις* usque ad finem paragraphi Eratosthenis reliquias esse vult. Sed fortasse mihi contigit, ut de priore quoque parte originem Eratosthenicam demonstrarem probaremque. Nam omni modo ea quoque, quae sunt *τοῦτο δ' ἂν εἴη τὸ αὐτὸ ὅπερ εἴρηκεν Ἐρατοσθένης* usque ad *δισχιλίων τετρακοσίων*, ad Eratosthenem spectant, cum consentiant cum eis, quae Eratosthenes palam profert II, 1, 24, pg. 79 (Berger, pg. 253 sqq.) et II, 1, 38, pg. 90 (Berger, pg. 254).

Sed ne ea quidem, quae legimus *τὸ δ' ἐλάχιστον μικρῷ πλέον τῶν διακοσίων κατὰ Σελεύκειάν που καὶ Βαβυλῶνα*, Eratostheni abiudicanda sunt, cum idem numerus occurrat in amplo illo Cyrenaei fragmento, quod extat II, 1, 26, pg. 80 (Berger, pg. 253 sqq.).

Tum Strabo initio paragraphi per voculam *εἴρηται* ostendit se rem revocare ad ea, quae iam exposuit II, 1, 23; XI, 12, 2—4, 8; 13, 2 et 8. Et II, 1, 23 quidem sine dubio est Eratosthenis (cf. Berger, pg. 253 sqq.), de locis vero libri undecimi mihi videor probaturus esse Eratosthenem adhibitum esse. Quae cum ita sint, hoc loco omnia enuntiata possumus referre ad locos aut certe aut probabiliter Eratosthenicos. Solis de primis verbis *Μεσοποταμία ἀπὸ τοῦ συμβεβηκότος ὠνόμασται* hoc non contigit. Minor vero licentia videtur esse, cui indulgentes haec quoque verba ei tribuamus, qui reliquam partem suppeditavit, nim. Eratostheni, quam si statuimus propter haec pauca verba ab alio quodam auctore auxilium petitum esse.

Quod attinet ad § **22**, Bergerus pg. 257 fragmentum Eratosthenicum censet pertinere inde ab initio usque ad voces *ὀκτακόσιοι στάδιοι*. Equidem vero non video, cur ultimum enuntiatum illi abiudicemus, praesertim cum e fine paragraphi 13, quam item Eratostheni tribueram, eluceat Eratostheni totius fluminis Euphratis longitudinem non ignotam fuisse. Et nonne e verbis quoque, quae sunt *τὸ ἀπὸ τοῦ κατὰ Κομμαγηνὴν ζεύγματος*, auxilium petere possumus comparatis vocibus Eratosthenicis paragraphi 21? (*τοῦτο δ' ἂν εἴη τὸ αὐτὸ ὅπερ εἴρηκεν Ἐρατοσθένης, τὸ ἀπὸ Θαψάκου, καθ' ὃ ἦν τὸ ζεῦγμα τοῦ Εὐφράτου τὸ παλαιόν*, ad quae conferas e § 23: *τῷ ζεύγματι, τῷ τε νῦν τῷ κατὰ Κομμαγηνὴν καὶ τῷ πάλαι τῷ κατὰ τὴν Θάψακον*).

In §§ **23—27** populi enumerantur, qui Mesopotamiam incolunt, idque secundum ea, quae in § 1 huius libri probabiliter Eratosthenica dicta erant. Ergo nihil videtur impedire, ne has quoque §§ Eratostheni addicamus. Omnia enim summopere cohaerere neque dirimenda esse (excepta paragrapho 25, de qua subinde dicturus sum) unusquisque concedet, si reputaverit § 23 *ἔστι δ' ἡ μὲν παρόρειος εὐδαίμων ἱκανῶς* et § 26 *τὰ δὲ πρὸς μεσημβρίαν . . . καὶ ἀπωτέρω τῶν ὀρῶν ἄνυδρα καὶ λυπρά*, nec non § 23 *τὰ μὲν πρὸς τῷ Εὐφράτῃ* et § 24 *πρὸς δὲ τῷ Τίγρει*.

Sed Strabo materiae geographicae permulta intermiscuit historici generis. Quibus in rebus assentior

Ottoni,[1]) qui persuasum habet eas res desumptas esse ex historico Strabonis opere. Sed ex quibus auctoribus haec hypomnemata historica sua repetiverint, semper fere prorsus incertum est. Nam probabilissimum est Strabonem, cum geographiae has res historicas ex ipsius hypomnematis insereret, fontes denuo non inquisivisse, sed mutatis mutandis exhibuisse. Quo factum est, ut vestigia auctorum, quae in geographico opere quamvis pauca et fallacia supersunt, in eis rebus, quae ad *τὰ ἱστορικὰ* Strabonis *ὑπομνήματα* spectant, plane evanescerent. Hoc autem loco feliciter accidit, quod alia narratio extat, quae ex historicis Strabonis libris videtur fluxisse. Otto enim l. l. pg. 319 sqq. mihi persuasit permultos Plutarchi locos ad illud opus redire, et ipse cum frgto 92 (id est cum priore parte paragraphi 23 quae tractatur) comparat Plut. Lucull. 32:

Strab.	Plut.
οἱ Μυγδόνες . . ἐν οἷς ἐστιν ἡ Νίσιβις, ἣν καὶ αὐτὴν Ἀντιόχειαν τὴν ἐν τῇ Μυγδονίᾳ προσηγόρευσαν.	*ὁ Λούκουλλος . . . εἰς τὴν λεγομένην Μυγδονικὴν κατέβαινε, . . . πόλιν ἐν αὐτῇ μεγάλην καὶ πολυάνθρωπον ἔχουσαν, ἣν οἱ μὲν βάρβαροι Νίσιβιν, οἱ δ' Ἕλληνες Ἀντιόχειαν Μυγδονικὴν προσηγόρευσαν.*

Hoc sane cogitare non licet Plutarchum sua repetiisse e geographia Strabonis. Qua enim ratione, si haec sententia staret, explicari posset Plutarchi narrationem multo esse accuratiorem subtilioremque quam ipsius Strabonis? Minime! Sed et Plutarchi et geographiae Strabonis loci, de quibus agitur, redeunt ad Amaseni historicos libros. Atque operae pretium est commemorare, quantopere in geographia Strabonis narratio videatur negligentior et levior quam in historia, quam hoc loco integriorem tradit Plutarchus.

Cum igitur his in §§ Eratosthenes materiam geo-

---

[1]) Strabonis *ἱστορικῶν ὑπομνημάτων* fragmenta, etc. in stud. Lipsiens. XI, suppl. 1889.

graphicam videatur praebuisse, Strabonis vero hypomnemata copiam historicam, de § **25** aliter iudicare debemus vel ea de causa, quod sententiarum conexus penitus interrumpitur hac § tamquam adnotatiuncula in margine apposita. In cuius fontibus perscrutandis omnino tum demum ad certum finem perveniemus, cum ad capitis 2 paragraphum 5 aggressi erimus, quippe ad quam verba *περὶ Τριπτολέμου δηλώσομεν ἐν τοῖς Συριακοῖς αὐτίκα* spectent. Item XIV, 5, 15, pg. 673 eadem res adumbratur per voculas *ἡ Ταρσὸς, κτίσμα δ'ἐστὶ τῶν μετὰ Τριπτολέμου πλανηθέντων Ἀργείων κατὰ ζήτησιν Ἰοῦς.* Neque ultra probabilitatem mihi videor progredi ratus omnes hos Strabonis tres locos ex uno eodemque auctore fluxisse. Et fortasse e loco illo libri XIV aliquid emolumenti capere possumus: Post verba enim *κατὰ ζήτησιν Ἰοῦς* disputatur de physica quadam proprietate Cydni fluminis. Quae narratio non abhorret a natura atque indole Posidonii, ita ut fortasse hanc quoque narrationem de Triptolemo filioque factam ei tribuere liceat.

Proximae §§ (**26** et **27**) optime cohaerent cum § 24, ut iam adnotavi. Itaque vel hac de causa non alienum est conicere eundem auctorem in §§ 26 et 27 Straboni auxilium tulisse quem in § 24, id est Eratosthenem. Deinde, cum Strabo hic de Arabibus Scenitis agit, nihil aliud facit, nisi ut ea uberius repetat illustretque, quae in § 1 protulit: *τῆς πέραν τοῦ Εὐφράτου πολλή, ἣν Ἄραβες κατέχουσι*, quae ex Eratosthene mea quidem opinione fluxisse, iam dixi. Si vero in § 27 vocibus *διὰ τῶν Σκηνιτῶν . . καὶ τῆς ἐκείνων ἐρημίας ἡ ὁ δ ὸ ς τοῖς ἐκ τῆς Συρίας εἰς Σελεύκειαν καὶ Βαβυλῶνα ἐμπορευομένοις ἐστίν, κτλ.*, Strabo iter quoddam accuratissime describit, in his quoque similiter facit Eratostheni teste Strabone (II, 1, 3, pg. 68, cf. Berger, pg. 170 sq.).

Restat ultima huius capitis § **28**. Haec talis est indolis, ut vix arbitrandum sit alienos auctores adhibitos esse. E contrario valde probabile videtur Strabonem ex opere suo historico complures res exhibuisse (cf. Otto, frgt. 160 [b], 209 [b], 224 [b]).

Quae inde ab *ὁ δ'ἐκεῖνον διαδεξάμενος Φραάτης* narrantur, quamquam item historici sunt argumenti,

tamen non desumpta esse possunt ex hypomnematis Strabonis. Nam omnia haec acciderunt post annum demum a. Chr. n. 27, et Otto pg. 12 sq. mihi probavit Strabonis historiam pertinuisse solum usque ad hunc annum. Cum autem Strabo omnium harum rerum fuerit aequalis, vel per se incredibile est eum in his enarrandis prorsus pendere ex alienis auctoribus. Num vero hos plane neglexerit, alia est quaestio.

Neque silentio omittam ea quae Tacitus in annal. II cp. 1 narrat, tam esse similia, ut fortasse suspicari liceat Strabonem et Tacitum ex eodem fonte hausisse. Praeterea commemorandum est paragraphum, de qua dicimus, naturam habere simillimam atque VI, 4, 2, pg. 286 sq. et XVII, 3, 24, pg. 839. Quibus locis Strabo occasione usus est idonea fines populi Romani enumerandi statumque imperii pronuntiandi. —

Iam transeamus ad **caput 2**, in quo de **Syria** agitur.

Paragraphum **1**, in qua in universum de finibus Syriae agitur, et **2** usque ad verba *ἐν δὲ τῇ μεσογαίᾳ τὴν Ἰουδαίαν*, in qua singulae partis Syriae enumerantur, spiritum ostendere Eratosthenis, iam studui probare. Quis vero illius diversae sententiae auctor sit, quae in posteriore parte (inde ab *ἔνιοι δὲ*) occurrit, videtur non licere enucleare. Fortasse Strabo hanc dissensionem iam apud Eratosthenem invenit commemoratam. Nos satis habeamus scire Strabonem in sequentibus se applicare non huic posteriori opinioni, immo Eratosthenicae.

Nam statim in § **3** incipit ab ea parte, quae in exordio paragraphi 2 primo loco nominata est, nim. a Commagene. Neque quidquam videtur esse, cur Eratostheni hanc § 3 abiudicemus. Cum geographicis vero coniunxit Strabo historica, quae procul dubio e suis desumpsit hypomnematis (cf. Otto, frgt. 128, 239).

Iam initio sequentis § (**4**) Strabo Commagenen relinquit et secundum ordinem indicatum transit ad aliam regionem Syriae, id est ad Seleucida. Mox vero Strabo Eratosthenis vestigia deserit, cum inde a verbis *καλεῖται δὲ τετράπολις* usque ad finem § 5 res historici potius argumenti tradantur. Harum auctorem fuisse

Posidonium hisce argumentis nisus contendam: In § 4 sese e Posidonio hausisse Strabo ipse confitetur nomine Posidonii allato. Muellerus frgt. h. Gr. III, pg. 276 (frgt. 59) has reliquias Posidonii censet pertinere inde ab initio paragraphi usque ad verba *τοῦ Νικάτορος κτίσματα* et inde ab *οἰκείως δὲ* usque ad *εἰς μίαν δ' ἡ Μεσοποταμία*. Ut initium quoque paragraphi Posidonio tribueret, quamquam longe remotum est ab huius nomine citato, videtur Muellerus eo permotus esse, quod verba exordii *καλεῖται δὲ τετρόπολις καὶ ἔστι* et verba sine dubio Posidoniaca *οἰκείως δὲ τῇ τετραπόλει καὶ εἰς σατραπείας διήρητο τέτταρας ἡ Σελευκὶς* inter se iungenda sunt propter similitudinem argumenti maximam. Equidem ita Muellerum probo, ut et verba quae ille exemit *ἡ μὲν οὖν μεγίστη* usque ad *τῆς μητρὸς* et reliquam partem paragraphi Posidonio adiudicanda esse pro certo habeam. Nam illis verbis *ἡ μὲν οὖν μεγίστη κτλ* nihil aliud profertur, nisi ut voces quae ante sunt *καλεῖται δὲ τετράπολις καὶ ἔστι*, magis illustrentur atque explanentur; et quis potius scire poterat *τὴν Ἀπάμειαν ἐπώνυμον εἶναι τῆς Νικάτορος γυναικὸς Ἀπάμας*, quam Posidonius Apameae natus? (confer XII, 8, 15, pg. 578.) Et in extrema quoque parte per voces *ἔστι δ' ἡ μὲν Ἀντιόχεια καὶ αὕτη τετράπολις ἐκ τεττάρων συνεστῶσα μερῶν* adluditur ad Posidonii illa *οἰκείως τῇ τετραπόλει κτλ.*

§ **5** propter rerum similitudinem non videtur dirimenda esse a 4 neque alii auctori danda. Historia enim urbis Antiochiae porro tractatur. Praeterea aliqua vis inest verbis *συνῴκισε δ' ὁ Νικάτωρ ἐνταῦθα καὶ τοὺς ἀπογόνους Τριπτολέμου*, quae non possumus non referre ad voces § 4 *τὸ μὲν οὖν πρῶτον αὐτῶν ὁ Νικάτωρ συνῴκισεν.*

Quae cum ita sint, narratio quoque, quae fit de Triptolemo eiusque posteris, Posidonio tribuenda est. Id quod iam in § 25 primi capitis adumbratum erat. Illic antem, quamquam aliquid certi investigare non poteram, tamen collata XIV, 5, 12, pg. 673 item de Posidonio auctore dubitanter cogitaveram. Igitur nunc omnis dubitatio ita videtur soluta esse, ut et hunc locum,

de quo ago, et XIV, 5, 12 et XVI, 1, 25 Posidonio vindicem.

Per § **6** narratio de Antiochia quodammodo interrumpitur, cum in § 7 denuo suscipiatur. Num vero idcirco concludere liceat alium Straboni hac in § 6 suppetivisse auctorem — quod talibus in digressionibus statuere per se non ineptum est — hoc loco propterea non tam abrupte diiudicem, cum e Posidonii frgto 31 palam fiat eum de Daphne optimam habuisse scientiam. Quare fortasse sumendum est hunc de Daphne digressum non a Strabone factum esse, immo a Posidonio ipso.

Et in § **7** quidem Posidonium usurpatum esse, ansam certissimam, quantum puto, praebent verba *οὗτος*, scil. *ὁ Ὀρόντης, . . . ὑπὸ γῆν ἐνεχθεὶς ἀναδίδωσι πάλιν τὸ ῥεῦμα.* Eadem res narratur VI, 2, 9, pg. 275. Atqui sub finem huius §, in qua artissimo cum conexu similia exempla proferuntur fluviorum evanescentium, scripta sunt verba: *εἴρηται δὲ καὶ τὸ λεγόμενον περὶ τοῦ Τιμαύου.* Quae spectant ad V, 1, 8, in qua paragrapho legimus: *Ποσειδώνιος δέ φησι ποταμὸν τὸν Τίμαυον κτλ.* Ergo et II, 2, 9 (cf. Hunrath, pg. 7[1])) et in § quae tractatur, omnia saltem, quae dicta sunt de Oronta, sine dubio redeunt ad Apamensem. Tum narrationem quoque, quae proxima est de Typhone et Arimis, e Posidonio haustam esse certe evinci potest. Voculae enim, quae exarantur *περὶ ὧν εἴπομεν καὶ πρότερον*, pertinent ad XII, 3, 27 et XIII, 4, 6. Hoc autem loco agitur de variis interpretationibus versus Homerici, qui est:

εἰν Ἀρίμοις, ὅθι φασὶ Τυφωέος ἔμμεναι εὐνάς. Et praeter alia haec quoque afferuntur: *τινὲς ἐν Συρίᾳ πλάττουσι τὸν μῦθον τοῦτον* et *οἱ δὲ τοὺς Σύρους Ἀρίμους δέχονται, οὓς νῦν Ἀραμαίους λέγουσι.* Qui vero auctor hanc amplexus sit sententiam, liquet e XVI, 4, 27: *λέγει δὲ καὶ τοὺς Ἀρίμους ὁ ποιητής, οὓς φησι Ποσειδώνιος δέχεσθαι δεῖν μὴ τόπον τινὰ τῆς Συρίας, ἀλλὰ τὴν Συρίαν αὐτήν.*

Ergo in §, de qua disputo, usque ad vocabula *γενέσθαι τοὔνομα τῷ ποταμῷ* vestigia Posidonii patent.

---

[1]) „Über die Quellen Strabos im 6. Buche“ (Cassel, 1879).

In verbis antem sequentibus alius auctor videtur praesto fuisse. Qui operam dat, ut fines enumeret, quibus terra Antiochenorum determinata est (cf. § 7 *πρὸς δύσιν μὲν οὖν ὑπόκειται τῇ Ἀντιοχείᾳ*, ibid. *πρὸς ἕω δέ*, § 8: *ἀπὸ δὲ τῶν ἄρκτων*, ibid. *πρὸς νότον δ'ἐστίν*). Hunc auctorem suspicatus esse Eratosthenem, quippe qui tales determinationes reapse adhibuerit, fortasse non pecco in verisimilitudinem. Ceterum permultas Strabo his rebus geographicis inseruit adnotationes historicas, sine dubio e suis hypomnematis depromptas (cf. Otto, frgt. 118, 209 [a], 117).[1])

Ceterum hos fontes suspicati exhaustos esse inde a verbis § 7 *πρὸς δύσιν μὲν οὖν* usque ad § 8 notiones *τὸ Κάσιον ὄρος καὶ τὸ Ἀντικάσιον*, non ad finem quaestionem perduximus. Immo remanent in § 8 quaedam, quae sententiarum conexum ita disrumpunt, ut etiam repetant ea, quae iam adumbrata sunt.

Hac in re verum vidit Ruge, qui verba *ἔτι δὲ πρότερον* usque ad § 9 *εὐλίμενος πόλις* item deberi Artemidoro ut *πρὸς θαλάττῃ δὲ τούτων* ad *ἱδρυμένη*, probavit.[2])

Equidem vero non ut Ruge, sola illa pauca verba § 9 Artemidoro vindico, immo omnia usque ad *ἀνατεταμέναι*. Nam sic initium § 10 (*ἡ δ' Ἀπάμεια*) perbene cohaeret cum verbis § 8, susceptis ab Artemidoreis: *πρὸς νότον δ'ἐστὶ τοῖς μὲν Ἀντιοχεῦσιν Ἀπάμεια κτλ.* Praeterea non video, cur non descriptionem quoque accuratam urbis Laodiceae regionisque sumamus Strabonem ex Artemidoro mutuatum esse. Unum enim eundemque auctorem verba *κάλλιστα ἐκτισμένη καὶ εὐλίμενος πόλις* videntur ostendere quem verba *χώραν τε ἔχουσα πολύοινον πρὸς τῇ ἄλλῃ εὐκαρπίᾳ*. Haud exigui denique momenti sunt verba *τοῖς μὲν οὖν Ἀλεξανδρεῦσιν αὕτη παρέχει τὸ πλεῖστον τοῖ οἴνου*. Quae ad nullum auctorem melius

---

[1]) scientiam verborum *ἡ Βέροια καὶ ἡ Ἡράκλεια, πολίχνια τυραννούμενά ποτε ὑπὸ Διονυσίου τοῦ Ἡρακλέωνος*, cum e Posidonii frgt. 36 cognoscamus Apamensem egisse de Heracleone, fortasse Strabo huic debuit.

[2]) in dissertationis, quae inscribitur quaestiones Strabonianae, pg. 36 sqq.

quadrant quam ad eum, cui non ignotum fuerit Alexandrinos aut nullum aut pessimum habere vinum. Atqui tale aliquid legitur XVII, 1, 14 idque in ea §, quam Ruge l. l. pg. 72, 75, 77 Artemidoro tribuit. — Finem denique ex suo historico opere Strabo adiecit (cf. Otto, frgt. 193, et pg. 269 sq.), item ut in § 8 Artemidori verbis *ἡ Σελεύκεια κτλ* ex suo adnexuit Strabo voculas *ἐκαλεῖτο δ' ἡ Σελεύκεια* usque ad *Πομπήιος ἀποκλείσας Τιγράνην.*

In § **10** uberrimis verbis disputatur de rebus urbis Apameae idque tam accurate diligenterque, ut nullus auctor, cui Strabo haec debere possit, magis sit praesto quam Posidonius ex Apamea oriundus. Quae vero dicuntur de historia Apameae (nim. inde a vocibus *δηλοῖ δὲ τὴν δύναμιν ταύτην* usque ad *ἀντέσχε πολὺν χρόνον*), eiusdem reddere Posidonii memoriam censeo, cum vel per se satis probabile sit eum historiam quoque patriae usque ad suam aetatem denarravisse. Quae coniectura nonnihil fulcitur Posidonii frgto 10. E quo cognoscimus Posidonium re vera locutum esse de illo Tryphone (*Τρύφων ὁ Ἀπαμεὺς ὁ τὴν τῶν Σύρων βασιλείαν ἁρπάσας κτλ*).

Tum Strabo inde a *Βάσσος τε Καικίλιος* usque ad *ἐμισθοφόρει τότε τῷ Βάσσῳ*, ex opere suo historico addit, quae ad Apameorum historiam plenam reddendam asserenda erant (cf. Otto, frgt. 191). Et post verba *ἀντέσχε πολὺν χρόνον* fontem, qui usque ad ea in usu erat, omissum esse, nonnihil ostendunt verba *Βάσσος τε Καικίλιος*, quae haud ita apte referenda sunt ad *δηλοῖ δὲ τὴν δύναμιν.*

Verborum in fine positorum: *ἐντεῦθεν δ' ἐστὶ Ποσειδώνιος ὁ στωικός, ἀνὴρ τῶν καθ' ἡμᾶς φιλοσόφων πολυμαθέστατος*, Strabo sine dubio est auctor primarius, qui hac commemoratione fontem suum praecipuum honorabat atque ornabat.

§ **11** in universum de terminis terrae Apamensis agit, ita ut non improbabiliter Eratosthenem eam Straboni praebuisse videamur conicere. Accedit — id quod non exiguam habet vim —, ut vocibus *ἀνδρῶν σκηνιτῶν τὸ πλέον· παραπλήσιοι δ' εἰσὶ τοῖς ἐν Μεσοποταμίᾳ νομάσιν* provocetur ad cp. 1, § 26, quam Eratostheni vindicavi.

Verba *καθάπερ ἡ Σαμψικεράμου κτλ* fortasse a Strabone ipso ex hypomnematis adnotata sunt (cf. § 10 *ἡ Σαμψικεράμου*). —

Cum hac § 11 Strabo descriptionem Seleucidis mediterraneae confecit et in § 12 usque ad 15 transit ad oram. Ad § **12** adnotem Groskurdium in prooemii, quod ad versionem operis Straboniani scripsit, § 6 affirmare Strabonem, cum ex Aegypto navi domum reveheretur, et Aradum et Apameam visisse, et propterea eum his de urbibus loqui ex sua ipsius memoria nullo alio usum auctore. Equidem autem illi astipulari nequeo compluribus de causis. Primum enim Strabo, si re vera Apameae et Aradi fuisset, minime silentio hoc omisisset, immo item commemorasset, ut exempli gratia Alexandriae vel Syenes se fuisse expressis verbis profitetur. Deinde mirum esset, cur Strabo talem ordinem verborum adhibuisset, qualis est *Κάρνος, τὸ ἐπίνειον τῆς Ἀράδου, . . . εἶτ' Ἔννδρα καὶ Μάραθος πόλις . . . τὴν δὲ χώραν Ἀράδιοι κατεκληρούχησαν.* Immo, si ex Aegypto septentrionem versus praeternavigasset litus Phoenicium, plane inversam adhibuisset seriem verborum. Denique si ad §§ 13 et 14 pervenerimus, cognoscemus Strabonem Aradum depingere tanquam urbem felicem beatamque. Atqui notum est e Cass. Dion. XLVIII, 24 et XLIX, 22 Aradum bello gravissime afflictam esse anno a. u. c. 716. Strabo autem cum anno a. u. c. 730 fere Alexandream reliquerit, de hac calamitate sine dubio dixisset, si modo urbem visisset. Immo videtur apparere Strabonem in his urbibus describendis uti auctore paulo antiquiore, cui illae res nondum notae esse poterant.

Sed ut revertar ad § 12, quis est fons huius peripli? De Artemidoro cogitare non licere, quippe qui prorsus inversum adhibuerit ordinem enumerandi, Ruge pg. 48 luculentissime enucleavit. Aliquid certi contendere nolim, sed satis habeam statuere Strabonem in describenda ora Syriaca non raro adhibere periplum innoti cuiusdam auctoris. Quare ceteris quoque locis huius capitis, quibus res ita se habet, solo de periplo verba faciam. Nam ne Eratostheni quidem illa dem, quia partim vix credibile est eum singulas urbes tam nude arideque

enumeraturum fuisse, partim vix tam amplam scientiam oppidulorum haud ita notorum habuit.

Aliquanto certior eventus nobis contingit in § **13**. Persuasum enim mihi est Strabonem ibi pendere ab auctoritate Posidonii. Neque enim quicunque indolem eius compertam habet, negabit narrationem illam de miro quodam fonte, qui ex ipso mari dulcem profundit aquam, optime quadrare ad Posidonium illum res physicas in deliciis habentem. Praeterea iam Lucretius huius fontis mentionem facit VI, 890 sqq.; quam notitiam a nullo alio eum accepisse credam nisi a Posidonio, id quod Rusch quoque probavit.[1]) Denique aliquam vim habent verba *πολυορόφους οἰκοῦσι τὰς οἰκίας*. Comparanda enim sunt cum § 23: *Τύρος συνῳκισμένη παραπλησίως ὥςπερ ἡ Ἄραδος . . . ἐνταῦθα δέ φασι πολυστέγους τὰς οἰκίας*. Cum vero haec § 23, ut infra conabor demonstrare, dicta sit e mente Posidonii, vel haec similitudo verborum testimonio est § 13 spectare ad Posidonium.

Similia eis, quae in § **14** de historia Aradi traduntur, scripsit Polybius V, 68; sed quia narratio Polybii minime tam est copiosa atque accurata quam Strabonis, longe a vero aberraremus Polybium Strabonis auctorem rati. Amasenum autem ipsum in urbe Arado haec comperire potuisse, iam ad § 12 negavi, quia cum aliae res tum verba *ὥςτ' ἐκ τούτου χώραν τε ἐκτήσαντο τῆς περαίας πολλήν, ἧς τὴν πλείστην ἔχουσι καὶ νῦν* et *προςέθεσαν τῇ εὐτυχίᾳ ταύτῃ*, contradicunt quam maxime statui Aradi, qualis erat Strabonis aetate. Immo de eo auctore cogitandum est, cui res post pugnam Philippensem gestae notae esse non poterant. Quibus pensitatis nullus alius tam aptus nobis occurrit quam Posidonius. Huius enim, quippe qui § 13 egerit de Aradi rebus topographicis, maxime intererat de historia quoque huius urbis pauca proferre. Quamquam una res videtur primo obtutu nos vetare Posidonium statuere fontem. Sunt nimirum verba *τὰ δὲ νῦν Ῥωμαῖοι μετέθηκαν εἰς τὴν παροῦσαν τάξιν*. Quibus sine dubio adumbratur annus

---

[1]) in dissertationis, quae inscribitur „de Posidonio Lucretii auctore“, pg. 48.

a. Chr. n. 64, quo Pompeius res Syriacas instituit composuitque. Cum vero Posidonius solum ad annum 82 historiam suam perduxerit[1]), maxima videtur dubitatio de fonte huius §. Tamen spero hanc quoque asperitatem superari posse. Strabo enim testis est Posidonium etiam res a Pompeio gestas memoriae prodidisse (XI, 1, 6, pg. 492). Idque non *ἐν ταῖς ἱστορίαις*, quantum perspicere possumus, videtur fecisse, sed in alio quodam libello. Ergo in promptu est arbitrari verba quoque *τὰ δὲ νῦν Ῥωμαῖοι μετέθηκαν εἰς τὴν παροῦσαν τάξιν*, quae sine dubio imprimis de ipso Pompeio dicta sunt, redire ad Posidonium.

In § **15** eundem periplum quem in § 12 usurpatum esse Ruge pg. 48 sq. demonstravit, quia in utraque priore loco Orthosia, posteriore Eleutherus flumen nominatur, cum ceteri scriptores ordinem observent contrarium (Plin. V, § 78. Ptolem. V, 15, 4).

A § 16 usque ad § 21 Strabo verba facit de Coele Syria, quam in § 2 re vera tertiam indicavit partem Syriae. Et hic quoque fundamentum videtur esse Eratosthenes. Nam quod attinet ad § **16**, quamquam certa testimonia non extant, tamen inest aliquid, quod redolet geographum aliquanto priorum temporum — qualis erat Eratosthenes —, quibus geographia tanquam in incunabulis erat, ita ut errores nonnunquam existerent. Dico hic de prava descriptione Libani et Antilibani (*μικρὸν ὕπερθεν τῆς θαλάττης ἀρχόμενα ἄμφω κτλ*). Cuius lapsus ut Eratosthenes excusationem adipiscatur, quippe qui quasi pater geographiae sit, ita minime Posidonius vel alius scriptor posterioris aevi.

In § **17** verba *τῶν πεδίων τὸ μὲν πρῶτον . . Μάκρας καλεῖται* referenda sunt ad § 16: *ἀπολείπουσι μεταξὺ πεδίον κοῖλον κτλ.* Mox vero Strabo scriptorem, qui ordinem enarrationis dedit, scil. Eratosthenem, relinquit, ut aliquid memorabile e farragine Posidonii patefaciat (cf. eius frgt. 60).

Statim vero in § **18** pristinum Strabo suscipit tenorem et propterea iterum videtur se applicasse opinioni Era-

---

[1]) cf. Arnold, annal. philol. suppl. tom. XIII, pg. 75 sqq.

tosthenis. Ceterum intermiscuit Amasenus ex hypomnematis suis nonnullas res historici generis (cf. Otto, frgt. 121).

Cum ad § 18 (*μετὰ δὲ τὸν Μάκραν ἐστὶν ὁ Μασσύας*) bene cohaereat § 20 (*ὑπὲρ δὲ τοῦ Μασσύου*), § **19** non quadrat in conexum sententiarum. Ergo apparet in § 19 Strabonem alium sequi auctorem quam in §§ 18 et 20. Quem usque ad voces *εἶθ' ὁ Λίκος ποταμὸς καὶ Βηρυτὸς* esse periplum illum supra commemoratum concludam ex extremis verbis *ταῦτα μὲν οὖν τὰ ἐπὶ θαλάττῃ*. Praeterea historica tantummodo praebetur materia. Ex qua verba *Βηρυτὸς . . . ὑπὸ Τρύφωνος*, sunt secundum Ottonem reliquiae Strabonis ipsius historicae (frgt. 10 c). Ea vero, quae sequuntur *ἀνελήφθη δὲ νῦν κτλ* in hypomnematis illius extitisse non possunt, cum res, quae in his narrantur, acciderint hoc opere perpetrato, sed Strabo has e memoria sua adseruit.

Quod spectat ad § **20**, ut negandum non videtur ordinem ab Eratosthene institutum retineri, ita plurimam partem materiae alii Strabo videtur debere scriptori: Fontem rerum historicarum, quae hic occurrunt, coniciam esse Nicolaum Damascenum. Ad §§ 34 sqq. enim studebo demonstrare Strabonem reapse in rebus Iudaeorum exscribere Nicolaum Damascenum. Deinde idem Nicolaus fons praecipuus est Josephi.[1]) Igitur, si et apud Strabonem et apud Josephum res ad historiam Iudaeo-Syriacam pertinentes posteriorem anno 27, similem in modum narrantur, quemnam utriusque scriptoris esse fontem sumamus nisi Nicolaum? (Sumere enim talibus in rebus Josephum hausisse ex Strabonis historicis libris — id quod per se minime peccat in probabilitatem (cf. Otto, pg. 225 sqq.) — eo vetamur, quod hae res spectant ad tempora, quae in illis hypomnematis non iam tractata sint.) Atqui ad hanc § 20, quae in disputatione est, conferas, quaeso, Joseph. ant. Iud. XV, 10, 1—3. Quibus

---

[1]) cf. Mueller, frgt. h. Gr. III, pg. 346; Bloch, Die Quellen des Flavius Josephus in seiner Archäologie, Leipzig 1879; Destinon, Die Quellen des Flavius Josephus in der jüdischen Archäologie, Buch XII—XVII = jüd. Krieg, Buch I, Kiel 1883; Schemann, Die Quellen des Flavius Josephus in der jüdischen Archäologie.

item agitur de latrociniis Zenodori, quae non potuisse in Strabonis extare libris historicis probatur primis verbis Josephi § 3, quae ad annum fere 20 a. Chr. n. spectant. Et quam similiter narratio fluat; intelliges imprimis, si Strabonis verba de vastis illis speluncis comparaveris cum Josephi § 1.

Denique fortasse dignum est, quod commemoretur Nicolaum ut Damasci ortum, potius quam ullum alium decere loqui *ἔστι καὶ ἡ Δαμασκὸς πόλις ἀξιόλογος.*

§ **21** nihil aliud videtur esse nisi iteratio quaedam copiosior eorum verborum, quae iam in § 2 facta sunt. Ergo non dubium videtur, quin hic Eratosthenes adhibitus sit. Neque omnino alium existimem praesto fuisse, ex quo Strabo talem conspectum in universum pertinentem exhibere posset.

In § **22** sequitur expositio Phoenices (usque ad finem § 33). Post verba exordii (usque ad *λόγου τετύχηκε*), quae a Strabone ipso tanquam praefationis causa praemittuntur, dubitari nequit, quin usque ad voces *μετὰ δὲ Σιδῶνα . . . Τύρος* periplus exscriptus sit. Tum vero Strabo ab eo desistit et a verbis demum § 24 *διέχει δὲ τῆς Σιδῶνος ἡ Τύρος* rursus eum usurpat. Quae autem a § 22 voculis *ἐνάμιλλος αὐτῇ* exarata sunt usque ad § 24 voces *πρὸ τῶν Τρωικῶν χρόνων γεγονότος*, de tam simili argumento dicta sunt idque tam pari modo, ut non dubitem omnia haec uni eidemque scriptori assignare, nim. Posidonio.

Primum quidem in § 22 spiritus Posidonii vel ex eo apparet, quod a poëtis, imprimis ab Homero auxilium petitur ad aliquid demonstrandum. Nam Posidonium hanc habuisse consuetudinem testantur fragmenta 68, 74, 85, 86, alia. — Deinde enuntiatio, quae est *αἱ εἰς τὴν Λιβύην καὶ τὴν Ἰβηρίαν ἀποικίαι κτλ*, optime quadrat ad Posidonium. Nam ex huius fragmento 49 (= Strab. III, 4, 3 pg. 157) liquet Posidonium non ignorasse illas colonias in Libyam vel Iberiam missas.

Multo etiam certior opinio mea redditur per § **23** verba *διὸ καὶ σεισμοὺς γενομένους . . . . τὴν πόλιν.* Quae verba vel per se Posidonio, homini physico, iure adiudicari possunt (cf. eius frgt. 77); nullus vero scrupulus

iam restare poterit, postquam eiusdem fragmentum 76 perlegerimus (= Strab. I, 3, 16, pg. 58): *ἐν δὲ τῇ Φοινίκῃ φησὶ Ποσειδώνιος γενομένου σεισμοῦ καταποθῆναι πόλιν . . . τὸ δ'αὐτὸ πάθος καὶ ἐπὶ τὴν Συρίαν ὅλην διέτεινε.*[1])

Ergo cum Posidonius permulta disputaverit de terrae motibus, quibus tota Syria quassabatur, paene certum fit ex eo ipso, non ex alio Strabonem ea deprompsisse, quae de Tyri ruina memoriae tradidit.

Neque Posidonio abiudicem, quae in posteriore tomo de historia Tyriaca comperimus et ne ea quidem, quae in enuntiato *οὐχ ὑπὸ τῶν βασιλέων* usque ad *τὴν ἐκείνων γνώμην* extant, contra Posidonium pugnare puto, quamquam cadunt in annum a. Chr. n. 64/63 (cf. Otto, frgt. 122). Nemo enim alius nisi Pompeius libertatem Tyriorum confirmavit. Ergo quid est, cur hanc memoriam ei abiudicemus, qui teste Strabone res a Pompeio gestas descripserit? — Totam vero disputationem nostram habere probabilitatem adiutricem liquet e § **24**, in qua nomen Posidonii expresse dicitur. Praeterea commemorandum est verba huius § *καθάπερ καὶ ὁ ποιητὴς δηλοῖ* item ut similes notiones § 22 quodammodo redolere ingenium Posidonii.

Post has Posidonii reliquias sequuntur adnotationes nonnullae de philosophis Tyri vel Sidone natis (inde a *καθ' ἡμᾶς δὲ* usque ad *τῶν βιβλίων*). Hic adhuc vix licet aliquid certi de auctore Strabonis statuere. — Denique inde a *διέχει δὲ τῆς Σιδῶνος* usque ad finem periplum exscriptum esse iam dixi.

Compositio §§ **25** sqq. talis est, ut omnino solae urbes enumerentur, et quae ad singulam quamque memorabilia extant, proferantur. Quare non tam Eratosthenes quam periplus Straboni videtur hic fundamentum subiecisse. Ceterum in § 25 de terra vitrea mihi videtur materiam praebuisse Nicolaus Damascenus, cum simillima exarata sint apud Josephum, bell. Jud. II, 10, 2. His Nicolai — ut puto — reliquiis sine dubio abiudicanda sunt verba *ἤκουσα δ'ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ*

---

[1]) Inspicias quaeso, quae de verbis *συνῳκισμένη παραπλησίως ὥσπερ ἡ Ἄραδος* ad § 13 dicta sunt.

usque ad *ἄλλων μιγμάτων δεῖν*, quae Strabo ex suo addidit.

In § sequente (**26**) inde ab initio usque ad *ἐν νεκροῖς ἰχθύσι* quamquam de eodem agitur litore de quo in § 25, tamen alium Strabo videtur sequi auctorem, quia in § 25 verba sunt: *μεταξὺ δὲ τῆς Ἄκης κτλ* in § 26 vero: *μεταξὺ τῆς Πτολεμαΐδος* (collatis verbis § 25 *Πτολεμαΐς, ἣν Ἄκην ὠνόμαζον πρότερον*). In hac parte § 26 fragmentum praesto esse Posidonii elucet atque apparet collatis Athenaei verbis (VIII, pg. 333b). Quod iam alii viderunt, velut Muellerus (h. Gr. frgt. III, pg. 254 = Posid. frgt. 10) et Otto, qui simul putat haec ex historico opere Strabonis suscepta esse (frgt. 11). Et equidem non modo sto a partibus horum virorum doctorum, sed etiam facere nequeo, quin reliquam quoque partem Apamensi tribuam. Quis enim omnino talia scribere potuit, qualia hic comperimus! Nam Strabonis ipsius scientiae haec adscribere, quamquam I, 3, 17, pg. 58 profitetur se Casium vidisse, propterea mea quidem sententia non debemus, quia eo ipso loco, quo Strabo de rebus physicis illius urbis propriis verba facit, rem, quae in hac § 26 traditur, minime silentio oppressisset, si eam novisset. Sed illo tomo libri primi solis de maris eluvionibus disserit.

In § **27** rursus periplus usurpatus est, quem non posse esse Artemidori Ruge pg. 49 evicit.

In § **28** quoque ab initio usque ad voces *ἐπὶ τὴν ἕω τεταμέτη* et ab *εἰσὶ δ' ἐντεῦθεν* usque ad finem videtur periplus adhibitus esse. Cui reliquam partem paragraphi dem, difficultates fontis inquirendi maximae sunt. Omnibus vero pensitatis censeo Strabonem in his hausisse e Nicolao Damasceno. Nam omnino scriptor rerum Judaïcarum propterea commendatur, quia omnia ad Judaeos referuntur. Insuper eadem fere fabula de Andromeda existit apud Josephum, bell. Jud. III, 9, 3. Et denique ad verba *τὰ δ' ἐπίνεια τῶν λῃστῶν λῃστήρια δῆλον ὅτι ἐστί, τούτων δὲ καὶ ὁ Κάρμηλος ὑπῆρξε καὶ ὁ δρυμός*, bene quadrat Joseph. bell. Jud. I, 13, 2 (cf. antiqu. XIV, 13, 3) [1]).

---

[1]) Hic fontem esse Nicolaum, Destinon quoque l. l. pg. 106 sq. censet.

Inquisitionem § **29** hunc in modum persolvam, ut contendam Strabonem tenorem sequi peripli inde a principio usque ad *πόλισμα δὲ μικρόν*, et in adnotatione historica, quae continetur voculis *ἡ Γαδαρίς, ἣν καὶ αὐτὴν ἐξιδιάσαντο οἱ Ἰουδαῖοι*, fortasse auctoritati se applicare Nicolai. — Id vero adhuc non satis apertum est, cui Strabo notitiam virorum ex Ascalone vel Gadaris oriundorum debeat. Sed fortasse haec ipse optime scivit neque ei opus fuit fontem inquirere, id quod per verba *μικρὸν πρὸ ἡμῶν γεγονὼς* et *ὁ καθ' ἡμᾶς ῥήτωρ* adumbratur.

§ **30** initio (usque ad *ἐν ἑπτὰ σταδίοις*) periplus, quantum videtur, in usu erat. Quae subinde de casibus urbis Gazae referuntur, haud scio an rursus Nicolao vindicanda sint, quippe cum Joseph. ant. Iud. XI, 8, 3 sq. copiose eadem de re agatur.

In reliquis disputatur de duobus illis sinibus maris Erythraei, Aelanitico et Pelusiaco, idque tam in universum, ut difficultates fontis investigandi maximae fiant, praesertim cum Strabo ipse in Aegypto moratus multa ex sua scientia promere potuerit. Tamen fortasse licet aliquid enucleare: Haud dubie Posidonius adhibitus esse non potest. Is enim putabat inter Pelusium et Heroonpolin interesse 1500 stad. (cf. XVII, 1, 21, pg. 803 et XI, 1, 5, pg. 491). Atqui neminem praeteribit verba XVII, 1, 21 *ἑρπετῶν πλῆθος ἔχει τῶν ἀμμοδυτῶν* simillima esse verbis §, quae tractatur: *πολὺ καὶ τὸ τῶν ἑρπετῶν ἐν αὐταῖς πλῆθος*, et hunc locum libri XVII reddere cum aliorum tum Eratosthenis sententiam Vogel evicit in philol. volum. 43, pg. 407. Quapropter facere non possum, quin hoc quoque loco, de quo est inquisitio, arbitrer Strabonem iudicium fecisse ex Eratosthenis sententia, praesertim cum haec extent XVI, 4, 4, pg. 768: *ἔστι δὲ ἡ Αἴλανα πόλις ἐν θατέρῳ μυχῷ τοῦ Ἀραβίου κόλπου, ... καθάπερ εἰρήκαμεν.* Ergo haud dubie provocatur ad eum locum, qui tractatur, et XVI, 4, 4 Eratosthenis esse Strabo ipse expressis verbis confitetur (cf. Berger pg. 288 sqq.).

De fontibus § **31** nihil aliud dicam nisi periplum illum continuari. Ex quo vero Strabo fabellam, quae

de Rhinocolura profertur, hauserit, prorsus est dubium. Pugna apud Raphiam commissa a Polybio quidem V, 79—87 describitur et apud eundem (V, 80) commemoratur Rhinocolura. Sed caveamus, ne existimemus Strabonem hanc § hausisse e Polybio. Quod in probabilitatem peccat, cum apud Polybium explicatio nominis, quod est Rhinocolura, plane desit.[1])

Aliquanto plus proficere possumus in sequentibus §§ inquirendis. § **32** ortam esse ex Eratosthene concludo e summa similitudine, quae interest inter hanc et locos haud dubie Eratosthenicos. Verba enim, quae fiunt de Sirbonide lacu et de Ecregmate, comparanda sunt cum Eratosthenis reliquiis, quae extant Strab. I, 3, 4, pg. 50 (= Berger, pg. 61) et imprimis Strab. I, 2, 31, pg. 38 (= Berger, pg. 68).

Quodsi in § **33** verba initii (usque ad *ὑπὸ τῶν Αἰγυπτίων*) interim missa fecimus, primo obtutu cognoscimus narrationem § 32 denuo suscipi. Quocirca statuendum est eundem auctorem hanc partem § 33 (ab *εἶθ' ἡ ἐπὶ Πηλούσιον ὁδὸς* usque ad *τῶν τόπων*) Straboni praebuisse, id est Eratosthenem. Quae coniectura luculenter probatur hisce rebus: Verba, quae sunt *βάραθρα . . . φύσει κοίλων καὶ ἑλωδῶν ὄντων τῶν τόπων* alio quoque Strabonis loco extant (XVI, 1, 12, pg. 741): *Ἐρατοσθένης . . . ἀναθλίβεσθαι τὸ ὕδωρ καὶ ποιεῖν . . . . τὰ βόραθρα.* Idem Eratosthenes *τὰ Γέρρα* commemorat Strab. I, 3, 4, pg. 50 (Berger, pg. 61).

Verba initii nihil aliud sunt nisi notatio ad Casium montem spectans, qui iam in antecedente § commemoratus est. In his Strabo procul dubio hausit ex suis hypomnematis historicis (Otto, frgt. 167, b). — Finem facit fragmentum Artemidori, qui hoc loco expressis verbis nominatur (cf. Ruge, pg. 49).

In §§ quae sequuntur, Strabo de ultima parte Syriae (cf. § 2), id est de Iudaea loquitur et accuratissime historiam Iudaeorum describit. In his hypomnemata sua historica videtur excerpsisse. Nam re vera Stra-

---

[1]) Eodem modo origo huius nominis narratur apud Diodorum (I, 60) et Senecam (de ira III, 20).

bonem hanc materiam tractasse Josephus compluribus locis testatur, velut antiqu. Iud. XIV, 4, 3 et 6, 4. Quae cum ita sint, prorsus astipulor Ottoni, qui inde a § 34 verbis ἡ κρατοῦσα μάλιστα φήμη usque ad finem § 37 unum pertinere fragmentum Strabonis historicum censet (123). Et hic quidem bene accidit, quod etiam eam quaestionem cum aliqua probabilitate dissolvere possumus, ex quibus auctoribus Strabo illa exscripserit. Primum quidem operae pretium est evincere minime Posidonium usurpatum esse, de quo Strabo in aliis rebus historicis non raro pendeat. Quicunque enim Strabonis relationem perlegerit, concedet de Mose et ritibus Iudaïcis Strabonis iudicium non malam in partem cedere, sed cum benevolentia quadam proferri. Quod minime fecit Posidonius teste Josepho (contr. Apion. II, 7 = Posid. frgt. 14; Mueller. frgt. h. Gr. III, pg. 256): ‚admiror autem etiam eos, qui ei (Apioni) eiusmodi fomitem praebuere, id est Posidonium et Apollonium Molonem: quoniam accusant quidem nos, quare nos eosdem deos cum aliis non colimus . . . in hoc enim sacrario Apion praesumpsit edicere asini caput collocasse Iudaeos, . . . et hoc affirmat fuisse depalatum, dum Antiochus Epiphanes et exspoliasset templum et illud caput invenisset ex auro compositum multis pecuniis dignum‘.

Strabonem autem plane contrariam hac in re habuisse opinionem demonstratur sequentibus verbis Josephi (= Otto, frgt. 1): „quia vero Antiochus neque iustam fecit templi depraedationem, sed egestate pecuniarum ad hoc accessit, . . . nec aliquid dignum derisione illic invenit: multi et digni conscriptores super hoc quoque testantur Polybius Megalopolitanus, Strabo Cappadox, Nicolaus Damascenus, Timagenes et Castor chronographus et Apollodorus: qui omnes dicunt pecuniis indigentem Antiochum transgressum foedera Iudaeorum et spoliasse templum auro argentoque plenum“. — Quae cum ita sint, non falso videtur concludi in numero horum scriptorum eos quoque esse, quibus Strabo in historia componenda usus est. Excludendus vero omnino est Castor, quia nullo loco a Strabone videtur adhibitus esse. Et ne de Polybio quidem et Apollodoro auctori-

bus cogitare licet, quia historiam Iudaeorum non usque ad id tempus descripserunt, ad quod Strabo. Nisi sumendum est Strabonem in prioribus temporibus enarrandis pendere ex illis scriptoribus, in posterioribus ab aliis. Quod vel idcirco minime est credibile, quia hae §§ uno tenore videntur compositae esse. Ergo restant Nicolaus Damascenus et Timagenes. Uterque vero notus est fons Strabonis: de Nicolao vide XV, 1, 73, pg. 719 (cf. huius capitis, de quo disputo, §§ 20 sqq.), et de Timagene IV, 1, 13, pg. 188 nec non XV, 1, 57, pg. 711. Et uterque hoc quoque loco videtur Straboni auxilium tulisse. Quam opinionem hisce confirmem locis: Extant apud Josephum ant. Iud. XIII, 11, 3 (= Timag. frgt. 4) haec: *μαρτυρεῖ τοῦτο καὶ Στράβων ἐκ τοῦ Τιμαγένους ὀνόματος λέγων οὕτως· ἐπιεικής τε ἐγένετο οὗτος ὁ ἀνήρ* (scil. *Ἀριστόβουλος*) *καὶ πολλὰ τοῖς Ἰουδαίοις χρήσιμος, κτλ.* Et item Strabonem simillima exhibere atque Nicolaum demonstratur eius fragmentis 75, 86, 87.

Ergo de Strabonis narratione inde a § **34** verbis *ἡ κρατοῦσα μάλιστα φήμη* usque ad exitum § **37** quaestio mea quidem sententia soluta est. Ceterum ut de prima quoque parte § 34 (usque ad *ἐπωνόμασεν*) iudicium promam, geographicum argumentum procul dubio dedit Eratosthenes, quippe ex quo Strabo descriptiones in universum dictas exhibere soleat. Sed hic quoque admixtae sunt res historicae ad Strabonis hypomnemata pertinentes (cf. Otto, frgt. 20). Neque ineptum est commemorare Timagenis fragmentum 4 simillima praebere. Qua re quis est, quin videat coniecturam meam de Strabonis hac in parte hypomnematum fonte nonnihil fulciri?

§§ **38** et **39** quamquam magis de religione agunt quam de historia, tamen nihilosecius persuasum habeo redire ad hypomnemata historica Strabonis atque etiam ad eundem auctorem, cui antecedentes §§ debentur, nimirum ad Nicolaum. Hoc sane negandum non est nonnulla Strabonem ex suo addidisse; velut fortasse verba *οἵ γε ἀρχαῖοι τὸ παρὰ τῶν θεῶν ἐπρέσβευον μᾶλλον καὶ ἐσέμνυνον*, quibus simillima ipse quoque, quantum video, Strabo (cf. Vogel, in philol. volum. 43, pg. 408)

exclamat XVII, 1, 43, pg. 813. Tum vero etiam historica copia satis multa praesto est, ita ut iure Otto verba § 39 *καὶ διὰ τοῦτο* usque ad *Δεκαίνεος* fragmentum historicum Strabonis censeat (186, c) collata VII, 3, 5.

Nicolaum autem reapse esse fontem hac evincitur consideratione: Verba quae sunt *καὶ ὁ Μίνως παρὰ τοῖς Κρησὶν ἐννέωρος βασίλευε Διὸς μεγάλου ὀαριστής, δι' ἐννέα ἐτῶν, ὥς φησι Πλάτων, ἀναβαίνων ἐπὶ τὸ ἄντρον τοῦ Διὸς καὶ παρ' ἐκείνου τὰ προστάγματα λαμβάνων καὶ παρακομίζων εἰς τοὺς ἀνθρώπους,* quamquam quasi e Platone hausta videntur (Plat. Min. II, pg. 319), tamen non ad hunc redeunt, immo ad Ephorum. Qui fragmento 63 (= Strab. X, 4, 8, pg. 476) haec praebet: *Μίνως δι' ἐννέα ἐτῶν, ὡς ἔοικεν, ἀναβαίνων ἐπὶ τὸ τοῦ Διὸς ἄντρον καὶ διατρίβων ἐνθάδε, ἀπῄει συντεταγμένα ἔχων παραγγέλματά τινα, ἃ ἔφασκεν εἶναι τοῦ Διὸς προστάγματα· ἀφ' ἧς αἰτίας καὶ τὸν ποιητὴν οὕτως εἰρηκέναι· ἐνθάδε Μίνως*

ἐννέωρος βασίλευε Διὸς μεγάλου ὀαριστής.

Plato enim ipse paulo aliter loquitur: *λέγει γὰρ τὸν Μίνων συγγίγεσθαι ἐνάτῳ ἔτει τῷ Διὶ ἐν λόγοις καὶ φοιτᾶν παιδευθησόμενον ὡς ὑπὸ σοφιστοῦ ὄντος τοῦ Διός.* Ergo, si re vera Strabo penderet a Platone ipso, non ex Ephoro, mirandum est, cur Plato verba faciat *ἐνάτῳ ἔτει,* Strabo vero nec non Ephorus *δι' ἐννέα ἐτῶν.* Ephori auctoritas praeterea viget in eis, quae de Lycurgo proferuntur (cf. Ephori frgt. 64 = Strab. X, 4, 19). Sed nolimus arbitrari Ephorum ipsum his in §§ inspectum esse. Cui opinioni obstant complures res commemoratae, quae post Ephori tandem aevum acciderunt, nimirum *καθ' ἡμᾶς ὁ τῷ Βυρεβίστᾳ θεσπίζων Δεκαίνεος* (anno a. Chr. n. 44) et finis § 39.

Nicolaus denique auctor commendatur ipsius frgto 115, quod evidentissime congruere cum Ephori frgto 63 et Strabonis loco quem tracto, certe confirmatur cum aliis similitudinibus tum formula illa adhibita *δι' ἐννέα ἐτῶν.* Omnino Nicolaus persaepe ex Ephoro videtur libasse testibus frgtis 102 et 104.

In §, quae sequitur **40**, historia Iudaeorum, quae per §§ 38 et 39 quodammodo interrumpitur, denuo suscipitur. Ergo hanc quoque fluxisse ex hypomnematis

Strabonis conicere promptum est (cf. Otto, frgt. 124 a). Et hic quoque materiam dedit Nicolaus Damascenus. Et peropportune accidit, quod hoc loco coniecturam etiam demonstrare possum. Extat enim apud Josephum (ant. Iud. XIV, 4, 3) narratio persimilis. Exempli gratia Strabonis verba *τηρήσας τὴν τῆς νηστείας ἡμέραν* comparem cum Josephi vocibus *ἁλούσης τῆς πόλεως περὶ τρίτον μῆνα τῇ τῆς νηστείας ἡμέρᾳ.* Gravissima autem sunt haec Josephi: *μαρτυροῦσι πάντες οἱ τὰς κατὰ Πομπήιον πράξεις ἀναγράψαντες, ἐν οἷς καὶ Στράβων καὶ Νικόλαος κτλ.* Quare Muellerus hist. Gr. frgt. III haec Josephi verba suo iure et in Nicolai (frgt. 86, pg. 417) et in Strabonis frgtis (12, pg. 493) numerat.

In § proxima (**41**) rursus suscipitur descriptio topographica. Hoc quoque loco Otto luculenter probavit Strabonem materiam depromere ex suis hypomnematis (frgt. 125). Omnino autem negandum non est in hoc tomo geographicorum conscribendo Strabonem sua scientia optime adiuvari potuisse, et quod attinet ad palmulas et quod spectat ad balsamum. Id quod apparet e XVII, 1, 51 et 15 (cf. Philol. vol. 43, pg. 408 et 406).

§§ **42—45** ex alio additas esse auctore atque ex eis, qui in antecedentibus videbantur usui fuisse, luce est clarius, quia denuo descriptio lacus Sirbonidis profertur, de quo iam e §§ 32 et 34 non parva instructi sumus scientia. Ut statim meam aperiam opinionem, iudico hic a Strabone Posidonium exscriptum esse. Nam primum quidem secundum Strabonis ipsius verba § **43** ad hunc spectat (Posid. frgt. 63). Neque vero aliter res se habet in § antecedente. Id quod Muellerus quoque putat, qui ad § 43 haec loquitur: „quae antecedunt apud Strabonem et quae sequuntur, ex eodem fonte fluxerunt procul dubio“. Bergerus quoque pg. 268 idem fere censet. Quorum coniecturas sic puto probari atque firmari posse:

Duobus locis § 43, id est Posidonius, respicit § **42**. Hic extant verba *αὕτη ἀναφυσᾶται ἐκ μέσου τοῦ βάθους* et in § 43 explicatio instituitur vocibus *ἐν μέσῃ δὲ τῇ λίμνῃ τὸ πάθος συμβαίνειν εὔλογον*, et praeterea, quod in § 42 commemoratum est *αὕτη δὲ ἀναφυσᾶται κατὰ καιροὺς*

ἀτάκτους, quasi demonstratur a Posidonio in § 43: *ἄτακτος δὲ ἡ ἀναφύσησις, ὅτι κτλ.*

Quamquam in § **44** argumentatio non tam evidens est, tamen non dubito de Posidonio auctore. Argumentum ipsum bene quadrare ad hunc physicum non opus est copiosius disserere. Deinde autem ratio dicendi, quae est *τοῦ δ' ἔμπυρον τὴν χώραν εἶναι καὶ ἄλλα τεκμήρια φέρουσι πολλά*, documento est hanc § cohaerere cum antecedentibus. Haec verba spectant nim. ad § 42: *ἔστιν ἡ ἄσφαλτος γῆς βῶλος ὑγραινομένη ὑπὸ θερμοῦ* et § 43: *ἡ πηγὴ τοῦ πυρὸς καὶ τῆς ἀσφάλτου* (cf. frgt. 64 quoque Posidonii: *ἀσφάλτου, καιομένης, ὡς εἰκός, τῆς βώλου τῆς ἀσφαλτίτιδος*). — Sub finem nomen Eratosthenis adhibetur (cf. Berger, pg. 68). Vix vero puto ex illo ipso Strabonem haec libasse, sed solum a Posidonio nomen illud videtur mutuatus esse, id quod aliis quoque locis occurrit.

Ad eundem Apamensem redit § **45**. Solum tum enim, cum statuimus hanc cohaerere cum antecedentibus, explicari potest, cur Strabo rursus de Gadaride verba faciat, quae regio iam § 29 tractata est. Qui conexus magis quoque significatur extremis verbis: *χρῶνται δ' Αἰγύπτιοι τῇ ἀσφάλτῳ κτλ.* Cum enim asphalti tota in § mentio non fiat, luce est clarius respici ad §§ 42 et 43, quas subsequuntur in §§ 44 et 45 descriptiones similium rerum physicarum.

In ultima huius capitis § (**46**) historia Iudaeorum usque ad Strabonis aetatem perducitur. Quantum potuit (id est usque ad notionem *Καίσαρος τοῦ Σεβαστοῦ*), hic quoque Strabo sine dubio ex suis hypomnematis historicis hausit (cf Otto, frgt. 126 et 204). Reliqua pars in illo opere tractata esse nequit, quia continet posteriora tempora tractata quam usque ad quae illud pertinebat. Ceterum hic quoque Straboni auctoris instar esse Nicolaum persuasum habuerim hisce ex causis: Sciendum est Damascenum cum Herode aliquam habuisse necessitudinem (cf. eius frgt. 4 et 5). Quare — quid mirum? — factum est, ut Nicolaus non iustus sit iudex rerum ab Herode gestarum, sed studiosissimus illum laudandi atque ab opprobriis defendendi. Quod a Josepho

ipso luculenter significatur ant. Jud. XVI, 7, 1. Et in hac Strabonis § quamquam brevissima, tamen illud Nicolai studium palam fit, imprimis verbis: *τῶν δ' υἱῶν τοὺς μὲν αὐτὸς ἀνεῖλεν ὡς ἐπιβουλεύσαντας αὐτῷ* (cf. Joseph. *τῶν νεανίσκων ἐπιβουλὰς καταψεύδεται*). Atque etiam magis cum his ipsis verbis consentit frgt. 5 Nicolai: *τοῦ πρεσβυτάτου τῶν υἱέων τοὺς μετ' αὐτὸν δύο διαβαλόντος ὡς ἐπιβουλεύοντας τῷ πατρί*, et praeterea compares:

Strab.	Nicol. frgt. 5.
τοὺς δὲ τελευτῶν διαδόχους ἀπέλιπε μερίδας αὐτοῖς ἀποδούς . . . τετραρχίας ἀποδειχθείσης ἑκατέρῳ.	*ἑκάστῳ τῶν παίδων μέρος ἀποδοὺς τῆς ἀρχῆς . . . . τοὺς δὲ μετ' αὐτὸν ἀδελφοὺς . . . . τετράρχας ἀπέδειξεν.*

De capite **3**, ad quod pervenimus, non multa sunt dicenda. § **1** reddere Eratosthenis sententiam iam in prooemio operam navavi, ut exponerem.

§§ quae sequuntur **2—6**, unum continuum fragmentum est Eratosthenis. De quibus cum Bergerus pg. 269 sqq. diligentissime egerit, nihil est, quod adiciam.

§ **7** expletur frgto Nearchi (Muell. frgt. 29). Hic quidem Nearchum ipse Strabo videtur adhibuisse, quamquam in § 5 eiusdem narratio Nearchi de eadem re ex Eratosthene refertur. Atqui paulum est credibile etiam in § 7 materiam Eratosthenem praebuisse. Causam enim sic non perspicimus, cur non iam in § 5 continenter de hac re actum sit. Immo res sic se videtur habere, ut Bergeri quoque (pg. 276 sq.) est sententia: Strabo totis in §§ 2—6, quia res commemoratae admodum sunt mirabiles, studiose auctores citat, ut hoc modo opprobrium mendacii a se repulset. Ex eadem causa ad § 7 Nearchum ipse inspexit, ut quasi inquireret, num Eratosthenes, qui in § 5 nomen Nearchi adhibuit, reapse ea nuntiasset, quae apud Nearchum extabant.

De capite **4**, quia Ruge pg. 52 sqq. uberrime atque sagacissime egit, mihi quidem non multa restant, quae ex meo ingenio addam. Quare supersedeo de hoc ultimo capite libri 16 verba facere. —

Quodsi mente consideramus, quid in fontibus libri XVI investigandis lucrati simus, haec nobis statuenda sunt:

Longe plurimam partem huius libri Strabo accepit ab E r a t o s t h e n e. Nam non modo fundamentum totius

compositionis Cyrenaeus dedit, sed etiam permultas singulas res sive topographicas sive physicas suppeditavit. Secundo loco nominandus est Posidonius. Ab hoc Strabo pendet cum in rebus historicis tum physicis. Aliquantum fructus Strabo sumpsit ex ipsius opusculis: et ex eo libello, quo res ab Alexandro Magno gestas descripsit, et ex hypomnematis historicis. Non exiguum praeterea auxilium tulit Nicolaus Damascenus in eis quidem, quae ad historiam Iudaeorum spectant. Denique non omittendus est Apollodorus Artamitenus, cui Strabo se applicavit in Parthicis, et periplus ignoti cuiusdam auctoris, cuius tenorem in ora Syriaca secutus est. —

II.

Quibus de auctoribus Strabo in paragraphis quibusdam libri XI pendeat.

Antequam inciperem fontes libri XVI inquirere, quasi ad vires experiendas operam navaveram, ut enuclearem, ex quibus auctoribus Strabo in libri XI parte posteriore (inde a cp. 6) penderet. Nam de priore quidem dimidio quaestio iam ad finem perducta erat Neumanni disputatione.[1]) Sed in eo quoque tomo, quem equidem tractaturus eram, permagna pars eventus mihi praerepta erat per duos viros doctos, Fabricium et Behrium. Ille enim in dissertatione iam laudata de libri XI cp. 13 §§ 1—4 (pg. 522—524) et de toto cp. 14 (pg. 526—533) uberrime egit. Behrius autem[2]) fontes

---

[1]) „Strabons Landeskunde von Kaukasien“ (in Fleckeis. annal. suppl. tom. XIII, pg. 321 sqq.).

[2]) „de Apollodori Artamiteni reliquiis atque aetate“ (Strassburg 1888).

indagavit libri XI cp. 6 usque ad 11. Sed fortasse nonnullis locis mihi contigit, ut coniecturas Fabricii Behriique aut certis causis repellerem aut novis argumentis fulcirem. Quare omnibus locis omissis, quibus viros illos doctos verum — quantum licet — cognovisse persuasum habeo, eas saltem res proferre mihi liceat, de quibus aliquid novi habeo, quod adiciam.

De cp. **6**, § **1** Behrius nihil aliud dicit nisi circuitum maris Hyrcanii Strabonem secundum Eratosthenem exponere (Berger, pg. 323). Hanc sententiam mea opinione rectissimam his puto stabiliri posse: Bergerus quidem verba Strabonis inde ab *ἔστι δ' ὁ κόλπος* usque ad *δισχιλίων τετρακοσίων* Eratostheni tribuit idque recte. Nam voces inde a *τὸν ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων γνωριζόμενον περίπλουν* usque ad *δισχιλίων τετρακοσίων* ex Eratosthenis memoria fluxisse non opus est uberius probare, cum Strabo Eratosthenem ipsum nominatim laudet. Verba autem quae praecedunt, item verisimillimum est ad illum redire. Nam primum quidem Strabo, cum Hyrcanium mare dicit *κόλπον ἀνέχοντα ἐκ τοῦ ὠκεανοῦ*, Eratosthenis sequitur auctoritatem, cum e Plin. n. h. VI, § 36 eluceat Eratosthenem quoque falsam illam de natura huius maris habuisse opinionem. Deinde quae sunt *ὁ κόλπος κατ' ἀρχὰς μὲν ἱκανῶς στενός*, item ad Eratosthenis sententiam quadrant. Extant enim apud Strabonem (XI, 7, 1, pg. 508) haece: *Πατροκλῆς, ὃς καὶ πάρισον ἡγεῖται τὸ πέλαγος τοῦτο* (scil. *τὸ Κάσπιον*) *τῷ Ποντικῷ*. Atqui Patroclem his de regionibus fontem primarium Eratosthenis esse non nesciet, qui eius perlegerit fragmenta (imprimis cf. Berger, pg. 94 sqq.). Strabo autem II, 5, 22, pg. 125 (Berger, pg. 332) haec praebet: *ἡ δὲ περίμετρος τοῦ σύμπαντος πελάγους* (scil. *τοῦ Ποντικοῦ*) *ἐστὶ δισμυρίων που καὶ πεντακισχιλίων σταδίων. εἰκάζουσι δέ τινες τὸ σχῆμα τῆς περιμέτρου ταύτης ἐνιεταμένῳ Σκυθικῷ τόξῳ.* Et apud Ammianum Marcellinum (XXII, 8, 10) haec legimus: „omnis autem eius (scil. Ponti) velut insularis circuitus litorea navigatio viginti tribus dimensa milibus stadiorum, ut Eratosthenes affirmat... in speciem Scythici arcus nervo coagmentati geographiae totius adsensione formatur.“ Ergo apparet Strabonis verba (pgae 125)

ex Eratosthene fluxisse. Praeterea pensites, quae Strabo XVI, 3, 2, pg. 765 prodit: *φησὶ δὲ περὶ αὐτῆς* (scil. *τῆς κατὰ Πέρσας θαλάττης*) *Ἐρατοσθένης οὕτως, ὅτι . . . περιέχει τήν τε Καρμανίων παραλίαν . . . ὅσον μυρίων οὖσα σταδίων . . . τὸ δ' ἐντεῦθεν ἑξῆς ἐπὶ τὸ στόμα πάλιν ἄλλοι τοσοῦτοι . . . ὥςτε δῆλον ἐκ τούτων εἶναι, διότι μικρὸν ἀπολείπεται τῷ μεγέθει* (scil. 20 000 stad.) *τῆς κατὰ τὸν Εὔξεινον θαλάττης αὕτη ἡ θάλαττα.* Quare colligere possumus Patroclem et Eratosthenem Hyrcanii quoque maris circuitum circiter 20 000 stad. longum esse sumpsisse. Atqui Agathemerus in geographiae informatione (Mueller, geogr. Gr. m. II, pg. 474) exhibet: *ἡ Ὑρκανία ἤτοι Κασπία θάλασσα, μηνοειδὴς οὖσα . . . ἐστὶ σταδίων δισμυρίων δισχιλίων· τοῦ δὲ στόματος ἔχει τὸ δίαρμα σταδίους δ'.* Quae qui legerit, num negabit Agathemerum Eratosthenis computationem amplexum esse? Neque igitur dubium videtur, quin haec quoque vocabula Eratostheni debeantur: *τοῦ στόματος ἔχει τὸ δίαρμα σταδίους δ'.* Quae cum ita sint, recte videmur suspicari loco Strabonis, quem tractamus, verba *ὁ κόλπος κατ' ἀρχὰς ἱκανῶς στενὸς* cum Eratosthenis congruere opinione.

Ea autem quae leguntur *καλεῖται ἡ αὐτὴ θάλαττα καὶ Ὑρκανία*, certo auctori tribuere, item ut Bergerus (pg. 326) dubito, cum communis usus scriptorum doceat utrumque nomen semper adhibitum esse.[1]) — Verbis vero, quae initio sunt *ἡ δευτέρα μερὶς* usque ad *κατέπαυεν ἡ προτέρα*, Strabo nihil aliud dicit, nisi quae antea (XI, 1, 4 sqq., pg. 490 sqq.) exposita sunt, imprimis XI, 1, 7, pg. 492.

Cp. **7, § 1** magnam partem Strabo eidem debet Eratostheni, ut statim probare conabor. At verba *Λᾶας οἱ νῦν . . . Πάρνους* Behrius pg. 10 mihi persuasit propter verba *οἱ νῦν* non redire ad Eratosthenem, sed ad recentiorem auctorem. Neque falso mihi videor cum Behrio de Apollodoro Artamiteno cogitare fonte; quoniam vix alius extat scriptor Graecus, ex quo Strabo hanc scientiam haurire potuerit. — In eis, quae subsequuntur

---

[1]) cf. Strab. XI, 1, 7, pg. 492; II, 5, 18, pg. 121; Steph. Byz. s. v. *Κασπία*; Curt. Ruf. VI, 4, 18; Diod. Sic. XVII, 75, 3.

εἶτ' ἔρημος usque ad *Οὐίτιοι καὶ Ἀναριάκαι*, Strabonem niti auctoritate Eratosthenis, iam Behrius pg. 10 contendit et argumentis sententiam fulcire studuit. Ut alia omittam, imprimis notionem premit, quae est *μηνοειδὲς τὸ σχῆμα*, et duos affert locos, quibus item litus maris Hyrcanii cum lunae figura comparatur, scil. Curt. Ruf. VI, 4, 16 et 19. Quae verba Clitarcho deberi nullis causis allatis asseverat et Clitarchum e Patrocle, Eratosthenis auctore, hausisse. Equidem hanc sententiam hisce argumentis stabiliam: Provoco ad Bergeri auctoritatem, qui exemplis allatis contendit (pg. 331 sqq.) Eratosthenem saepius ad figuram terrae vel maris vel fluvii vel alius rei geographicae melius illustrandam comparationibus usum esse vulgaribus et tritissimis. Exempli gratia Cyrenaeus figuram Mesopotamiae similem esse affirmat navi, Nili vero alveum figuram efficere litterae N similem. Quare probabilitate quadam non caret hoc quoque loco verba *Μηδικῶν ὄρεων μηνοειδὲς τὸ σχῆμα* sententiam Eratosthenis repetere. Insuper in cp. 6 § 1 percensenda enucleasse mihi videor Agathemeri verba, quae leguntur III, 13: *ἡ Ὑρκανία ἤτοι Κασπία θάλασσα, μηνοειδὴς οὖσα κτλ.*, dicta esse ex auctoritate Eratosthenis. Ergo elucet ad hunc eam quoque imaginem redire, qua mare Hyrcanium cum lunae figura comparatur.

Ex quo vero narratio de Parrhasiis et Aenianibus (*φασὶ δὲ Παῤῥασίων τινὰς κτλ.*) sumpta est? Behrius arbitratur eam repeti a Strabone XI, 14, 14, pg. 531. Quem locum pendere a Theophane Mytilenaeo Fabricium ostendisse pg. 79 sqq. et 126. De hac quidem opinione tum erit tempus copiosius disserendi, cum ad illum locum pervenero; nunc satis habeo profiteri me non facere ex parte Fabricii, sed auctores me statuere Medium et Cyrsilum, aequales Alexandri Magni. Nam cp. 14, § 14, quam me illis scriptoribus adiudicare infra erit adnotandum, haec extant: *λέγονται καὶ τῶν Αἰνιάνων τινὲς οἱ μὲν τὴν Οὐιτίαν οἰκῆσαι*, quae verba quam similia sint eis, quae in hac § 1 leguntur, vix necesse est commemorare. Utrum vero Strabo hos scriptores satis ignotos ipsos usurpaverit an per alium auctorem illos noverit, hoc quidem loco non disceptem.

Quod attinet ad extremam partem, verba τὸ μέντοι πλέον usque ad τῷ Ποντικῷ deprompta esse ex Eratosthene apparet vel ex voculis ὥς φησι Πατροκλῆς (cf. Berger, pg. 324). Iam restat, ut verborum inde a καὶ ἄλλα τινὰ ἔθνη usque ad ἡ τραχύτης τῶν τόπων auctorem invenire coner. Fortasse ex ipsius contextus Straboniani condicione auxilium petere possumus. Omnes enim, quantum perspicere possum, editores Strabonis ante καὶ ἄλλα τινὰ ἔθνη verba nonnulla intercidisse consentiunt, neque negari potest narrationem hiare. Equidem vero non cum viris doctis illa verba, quae videntur excidisse, coniectura invenire studeo, sed conicio talem statum contextus factum esse, quia inde a καὶ ἄλλα τινὰ ἔθνη alium Strabo adhibuit fontem, alium in eis, quae antecedunt de Parrhasiis. Quia vero Strabo morte prohibitus est opus suum perpolire et castigare, item ut sescentis aliis locis hic quoque accidit, ut sententiarum conexus prope nullus esset. Atque censeo totam illam de Parrhasiorum coloniis narrationem prius quidem a Strabone non nisi tanquam in margine additam fuisse, ita ut his verbis conexus minime opus esset, tum vero in contextum insertam esse contra consilium Strabonis. Nam si e contextu enuntiata illa inde a φασὶ δὲ Παῤῥασίων τινὰς usque ad μαντεῖον ἐγκοιμωμένων exemimus, aptissimus fit conexus. Quae cum ita sint, non dubito haec verba (καὶ ἄλλα . . . τόπων) eidem dare auctori, qui et initio et fine fons est, nim. Eratostheni. Item non est, cur verba extremi finis ταῦτα μὲν οὖν τὰ χωρία λυπρά, alii tribuamus fonti; immo optime conveniunt cum illis ποιεῖ τοῦτο ἡ τραχύτης τῶν τόπων.

De auctore, qui in § 2 Straboni praesto fuerit, diversae prolatae sunt sententiae. Behrius pg. 11 sq. rectissime animadvertit fertilitatis Hyrcaniae testimonia a Strabone iam exhibita esse II, 1, 14, pg. 73 atque eisdem fere verbis (τὴν ἄμπελον usque ad τῇ Ἀραξηνῇ). Talia quaedam legi etiam apud scriptores rerum Alexandri, ut appareat e Curt. Ruf. VI, 4, 21; Diod. Sic. XVII, 75, 4; Onesicriti frgt. 3 et 4. Neque tamen Clitarchum, a quo auctorem a Curtio adhibitum et Diodorum Siculum in rebus Alexandri narrandis pendere satis

constet,[1]) Straboni auctorem fuisse, immo Theophanem, ut Fabricius pg. 80 et 136 demonstraverit. Eidem fonti deberi verba inde a *τῆς μέντοι προσηκούσης ἐπιμελείας* usque ad *πόρρω σκοπεῖν οὐ δυνάμενοι.* Quod Behrius iure, ut equidem, censeo, ex eo concludit, quod narrationis concinnitas ita turbata est, ut primum quidem disputetur de fertilitate Hyrcaniae usque ad *Ἀραξηνῇ*, tum de causis, cur Hyrcania non ea, qua debebat, cura atque diligentia culta sit (usque ad *σκοπεῖν οὐ δυνάμενοι*), deinde rursus Hyrcaniae fecunditatis afferatur testimonium (*φησὶ δ' Ἀριστόβουλος* usque *πληθύειν τούτοις*). Talem ordinem Strabonem non adhibiturum fuisse, nisi narrationem eius auctoris noluisset dirimere, cui tribuenda sunt *σημεῖα δὲ τῆς εὐδαιμονίας* usque ad *οὐ δυνάμενοι.* — Contra Fabricium extitit Otto l. l. pg. 221. Persuasum is habet Strabonem in Hyrcaniae fertilitate illustranda adiisse Alexandri Magni scriptores. Neque vero facere possum, ut acquiescam hac in sententia. Primum enim Otto in dubio reliquit, ex quo Strabo verba acceperit *τῆς προσηκούσης ἐπιμελείας* usque ad *οὐ δυνάμενοι*, quae artissime cohaerere cum antecedentibus neque ex alio fonte atque haec fluxisse videri Behrius mihi probavit. Opinari vero causas quoque, cur Hyrcania non tam copiose fundat fructus — quae his verbis continentur — excogitatas esse a scriptoribus Alexandri, magnopere prohibemur verbis *οἱ ὕστατοι Παρθυαῖοι.* Accedit altera causa, cur Ottonem sectari nolim. Strabo enim exhibet *τὸ βασίλειον Τάπη*, Arrianus autem exped. Alex. III, 25 haec dicit: *Ζαδάκαρτα, . . . ἵνα καὶ τὰ βασίλεια τοῖς Ὑρκανίοις ἦν.* Ex quibus non videre non possumus Alexandri Magni memoria non *Τάπην*, ut apud Strabonem, sed *Ζαδάκαρτα*, quod idem oppidum videtur fuisse atque Strabonis *Κάρτα*, regium domicilium fuisse. Ergo apertum est Strabonem rerum Alexandri scriptorem adhibere nequisse.

Sed ne cum Fabricio quidem Behrioque consentire possum. Theophanes enim scriptor erat praecipue rerum

---

[1]) Sed cf. Ranke, Weltgeschichte III, 2, pg. 42 sqq.; Schönle, Diodorstudien.

Armeniacarum, non Hyrcanicarum atque propterea non tam de Hyrcaniae ubertate mirabili verba fecisset quam de Armeniae. Neque igitur videtur Theophanes dicturus fuisse *ἡ Ὑρκανία σφόδρα εὐδαίμων . . . τοῦτο δὲ γίνεται . . . καὶ τῆς Ἀρμενίας ἐν τῇ Σακασηνῇ καὶ τῇ Ἀραξηνῇ*, immo *ἡ Ἀρμενία σφόδρα εὐδαίμων . . . τοῦτο δὲ γίνεται καὶ . . ἐν τῇ Ὑρκανίᾳ*. Praeterea valde improbabile est Theophanem scriptorem solius belli, quod Pompeius cum Mithridate gessit, de Medis quoque et Persis et Macedonibus dicturum fuisse. — Equidem puto Strabonem hic eundem scriptorem excerpsisse, quem II, 1, 14, pg. 73, nim. Posidonium. Quod erui tali usus argumentatione: Nemo, quicunque utrumque locum comparaverit, non confitebitur eos ad eundem auctorem redire debere, quia paene verbotenus inter se consentiunt. Atqui II, 1, 14 est ex eis §§, quibus Eratosthenes a Strabone contra Hipparchum defenditur (inde a § 7). Quicunque vero Strabonis indolem aliquantum cognitam habet, summopere dubitabit, num Strabo hanc scientiam ex suo fundat ingenio, immo suspicabitur Strabonem alius auctoris pedisequum esse. Neque vero nescimus Eratosthenis sententias potissimum a Posidonio illustratas et castigatas esse.[1]) Insuper ansa quaedam praebetur II, 1, 16, ubi occurrit descriptio, quam simillimam extare VII, 3, 17 sq. unusquisque videbit (supersedeo locos exscribere). Has autem §§ 17 sq. Posidonio tribuo. Nam e verbis quae sunt *οἱ δὲ Ῥωξαλανοὶ καὶ πρὸς τοὺς Μιθριδάτου τοῦ Εὐπάτορος στρατηγοὺς ἐπολέμουν* . . . . et in § 18 *Νεοπτόλεμον δέ φασι τὸν τοῦ Μιθριδάτου στρατηγόν*, elucet — si sententiarum conexum perquirimus — cognitionem illarum regionum solum per Mithridatis bellum extitisse. Et Posidonius teste frgto 34[a] his de rebus re vera egit. Ergo et VII, 3, 17 sq. et II, 1, 14 sqq. Posidonii prae se ferunt spiritum. Quare ne de ea quidem §, quam tractamus, aliter debemus iudicare.

In cp. 8, § 4 Behrio quidem ansam quandam praebent verba *Πομπήιος δὲ προσθεὶς χώραν*. Quibus nisus hunc

---

[1]) cf. Zimmermann, Hermae volum. XXIII, pg. 103 sqq.: „Die Erdkarte in mentem Strabonis ist eine Erdkarte nach Posidonius.“

locum adiudicat Theophani Mytilenaeo, prorsus secutus Fabricium. Qui contendit, cum Theophanem descripsisse bellum a Pompeio cum Mithridate gestum non ignotum sit (cf. Otto, pg. 219), omnibus Strabonis locis, quibus illius belli mentio fiat, Straboni opus Theophanis suppeditasse. At non raro ultra probabilitatem eum procedere multi iam cognoverunt viri docti.[1]) Qui mihi persuaserunt haud exiguam esse licentiam arbitriumque, quibuscunque locis bellum illud citetur, de Theophane cogitare auctore. Nam non solum eum, sed alios quoque scriptores illis de regionibus a se inquisitos esse Strabo ipse testis est XI, 5, 1, pg. 503 sq. Praeterea velim conferas, quae Muellerus in frgt. h. Gr. III, pg. 203 sqq. disseruit. Exempli gratia inspicias frgt. 1 Metrodori (= schol. Apoll. Rhod. IV, 133). — Insuper Otto Fabricii opinionem magnopere infringit, cum haec dicit (pg. 221 sq.): ‚Quo iure statuit Fabricius tot fontibus usum esse Theophanem Cyrsilo, Medio, Callisthene, Herodoto? Omnino multos a Theophane adhibitos esse scriptores vix credibile videtur, si nobiscum reputamus, quam brevi tempore totum opus a Theophane sit conscriptum. Nam cum anno a. Chr. n. 62 Theophanis historia iam in lucem esset emissa (Cic. pro Arch. 10, 24) una hieme (a. 63/62) eam confecit‘.

Quocirca eis locis Strabonis, quibus de Pompeiano bello cum Mithridate gesto audimus, nisi alia accedunt indicia, nihil aliud statuere licet nisi omnino scriptorem huius expeditionis primarium fuisse fontem. Quare ne hoc quidem loco Fabricium Behriumque probem.[2])

Equidem loco qui tractatur cogitem de Posidonio fonte. Premam enim verba: *Σάκαι παραπλησίας ἐφόδους ἐποιήσαντο τοῖς Κιμμερίοις καὶ Τρήρεσι.* Quae non tam quadrant ad auctores, qui unum illud bellum Pompei

---

[1]) Otto, pg. 219 sqq.; B. Niese (in „Wochenschrift für klassische Philologie“, 1889, pg. 33 sqq.); Haebler (in „Berliner philologische Wochenschrift“ 1889, pg. 1105 sqq.).

[2]) Omnino adnotem me in posteris eos locos, quibus a Fabricio vel Behrio nullis aliis de causis differo, nisi quod nimia nixi fiducia Theophanem praedicant fontem esse, in iudicium non vocare.

descripserunt, immo ad eum, qui uberiorem historiam confecit et de Cimmeriis quoque verba fecit. Talem autem fuisse re vera Posidonium elucet e fragmento 75, in quo de migrationibus illis Cimmeriorum diserte agitur. Praeterea fortasse conici potest narrationes eorum scriptorum, qui bellum Mithridaticum prodiderunt, Straboni aliquam partem per Posidonium innotuisse. Nitor enim Strabonis verbis supra collaudatis (XI, 1, 6, pg. 492): *προστίθει δὲ τούτοις, ὅτι καὶ τὴν ἱστορίαν συνέγραψε* (scil. *Ποσειδώνιος*) *τὴν περὶ αὐτόν* (nim. *Πομπήιον*).[1])

Quod spectat ad § 5, Behrius pg. 20 sq. summo iure ostendit simillima ratione de dolo a Cyro in Massagetas adhibito narrare Herodotum in libri 1 cpp. 207 sqq. Cum vero Strabo sit auctor id factum esse post victoriam a Sacis reportatam, Herodotum memoriae tradere rebus adhuc integris insidias illas factas esse. Cum praeterea nihil inveniatur apud Herodotum de Sacaeis in illius doli memoriam institutis, non licere cogitare de Herodoto Strabonis auctore. Fortasse hanc quoque narrationem fluxisse e Theophanis historia. Neque enim abhorrere a probabilitate Theophanem, quem sciamus cum Pompeio fuisse in illis regionibus, utramque Sacaeorum nominis interpretationem audivisse apud ipsos Zelenses. — Ego vero in castra Behrii transire nequeo. E contrario putem hanc § redire ad eundem fontem, ad quem §§ 6 et 7. Obiter enim intuenti fortasse mirum videbitur, cur initio § 6 Massagetarum singulare aliquid, nim. virtus bellica, describatur, cum postea magis in universum de moribus eorum et victu et quae sunt similia, disputetur. Exspectamus enim plane contrarium ordinem enarrandi. Omnis vero scrupulus amovebitur, si sumpserimus prima verba huius § 6 coniungenda esse cum eis, quae ante sunt in § 5, et talem seriem dicendi adhibitam esse solum oppositionis causa, ut Massagetae Sacis opponerentur. Nimirum Sacae bello cum Cyro gesto temeritatem et nimiam levitatem animi prae se ferebant, *Μασσαγέται δ' ἐδήλωσαν*

---

[1]) cf. Unger, philolog. volum. 41, pg. 632 et Muellenhoff, Deutsche Altertumskunde II, pg. 126.

τὴν σφετέραν ἀρετὴν ἐν τῷ πρὸς Κῦρον πολέμῳ. Praeterea autem verba, quae Herodotus in capitibus collaudatis illa de expeditione Cyri memoriae tradidit, quamquam non prorsus sunt eadem atque narratio Strabonis, tamen tantam ostendunt similitudinem, ut nihil aliud existimare videatur licere nisi in § 5 auctorem praesto fuisse, qui ipse Herodoti insistebat vestigiis, nim. Ephorus, a quo Strabonem in §§ 6 et 7 pendere Behrius mihi persuasit. Et re vera Ephorum de Sacis quoque, qui in § 5 tractantur, verba fecisse cognoscimus e Scymni Chii versibus 858 sqq.: *φησὶν* (scil. *Ἔφορος*) ... *κατοικῆσαί τινας* (scil. *τῶν Νομαδικῶν*)
εἰς τὴν Ἀσίαν ἐλθόντας, οὓς δὴ καὶ Σάκας
καλοῦσιν κτλ.

In cp. **11**, § **4** non prorsus possum approbare ea, quae Behrius pro certo habet. Hic quidem operam dedit, ut Clitarchum auctorem evinceret, sed solum hoc contendisse, non argumentis certis mihi videtur sententiam fulsisse. Ego vero, cum nonnullis ex indiciis Aristobuli vestigia patefieri videantur, de hoc cogito fonte primario. Proficiscor enim e verbis, quae leguntur *Καριάται πόλις τῆς Βακτριανῆς, ἐν ᾗ Καλλισθένης συνελήφθη καὶ παρεδόθη φυλακῇ.* Cum quibus quadrat perbene Arr. An. IV, 14, 3 (= Aristob. frgt. 26). Deinde voces, quae sunt: *καὶ γάμους ἀγαγεῖν Ῥωξάνης τῆς Ὀξυάρτου θυγατρὸς τὸν Ἀλέξανδρον* conferam cum Aristobuli fragmento 38 (= Arr. anab. VII, 4, 4). — Tum de urbe, cuius nomen erat *Κῦρα*, conferas Arr. Anab. IV, 2, 2; 3, 1; de conditis urbibus Arr. ibid. IV, 16, 3; de petra Oxyartis Arr. ibid. IV, 18. Atque hos omnes locos Luedeckius l. l. pg. 73 ex Aristobulo fluxisse conicit. Denique non omittam commemorare coniecturam meam eo nonnihil fulciri, quod § subsequens reapse ex Aristobulo exhibita est secundum ipsius testimonium Strabonis.

Hic quoque adnotem satis esse probabile Strabonem in his rebus, quae ad Alexandrum Magnum spectant, non Aristobulum ipsum inquisivisse, sed hausisse illius memoriam e suo hypomnemate de Alexandro scripto.

In § **7** Behrius satis habet iudicium suum proferre, quod quidem rectum esse ne ego quidem negem, singula

vero argumenta ad coniecturam approbandam collaudare negligit. Haec quidem Behrius pg. 33 disputat: „in totius orbis qui colitur, computatione utrum Strabo pendeat a ratione Eratosthenis an Posidonii, difficillima est quaestio. Tamen aliquid proficimus Apollodori testimonio in hanc computationem inserto. Cum enim Strabonem ipsum Eratosthenis aut Posidonii computationes emendasse parum probabile sit, de Eratosthene vero Apollodori sectatore cogitare non liceat, reliquum est, ut Posidonium sumamus nixum auctoritate Apollodori Artamiteni emendasse numeros Eratosthenis.“

Mihi haec apta videntur, quae addantur: Initium usque ad *τὸν ὠκεανὸν τὸν πληροῦντα τὸ Κάσπιον πέλαγος* Bergerus pg. 212 sq. Patrocli sive potius Eratostheni tribuit causis non prolatis. Ego assentior ei et has afferam causas: Non exigua vis inest verbis *τὸν ὠκεανὸν τὸν πληροῦντα τὸ Κάσπιον πέλαγος*. Habemus igitur hoc loco auctorem, qui mare Caspium sinum esse oceani pro certo habet. Quod si in quemquam, in Eratosthenem cadere, testimonio sunt extremas verba antecedentis § et cp. 7, § 1. Tum vero interrogare debemus: A quo tandem auctore Strabo notitiam septentrionalium et orientalium partium Asiae sibi comparare poterat nisi a Patrocle sive Eratosthene?

Deinde verba *εἴρηται, ὅτι . . . μέχρι τῆς ἑῴας θαλάττης τῆς κατὰ Ἰνδοὺς* spectant ad II, 4, 3, pg. 105 et XI, 1, 3, pg. 490. In his quidem Strabo sine dubio contradicit Eratostheni, testibus verbis, quae servantur Strab. I, 4, 5, pg. 64 (cf. Berger, pg. 156). Nam secundum Eratosthenem non ab Issico sinu, sed ab Euphrate 40 000 stad. computantur usque ad Indicum oceanum.

Quodsi Strabo a columnis Herculis usque ad Issicum sinum computat 30 000 stad., rursus sequitur Eratosthenis rationem, ut elucet e Strab. II, 1, 35, pg. 87 (cf. Berger, pg. 185). Item Eratosthenis reperimus auctoritatem in eis quae exarata sunt: *ἔστιν ὁ μυχὸς τοῦ Ἰσσικοῦ κόλπου μικρὸν ἢ οὐδὲν Ἀμισοῦ ἑωθινώτερος*, id quod demonstratur Eratosthenis ipsius vocibus apud Strab. II, 1, 3, pg. 68 (Berger, pg. 171).

Ergo luce est clarius Strabonem hac in § modo

Eratosthenem sequi modo diversam amplecti sententiam. Quod nullo alio modo simplicius explicari potest quam si cum Behrio conicimus Strabonem stare ab auctoritate Posidonii, qui numeros Eratosthenis percensens eos aut probabat aut emendabat.[1])

Nam ad Eratosthenem quidem non quadrant verba *εὔτερ ἐστὶ τὸ μῆκος τῆς οἰκουμένης ἑπτὰ μυριάδες.* Secundum enim Bergerum (pg. 160) Eratosthenes 78 000 stad. computavit longitudinem *τῆς οἰκουμένης*; optime vero haec congruunt cum Posidonii sententia (frgt. 68 = Strab. II, 3, 6, pg. 102).

Nunc Strabo disserit de latitudine orbis terrarum (*πάλιν δὲ τοῦ πλάτους . . . περὶ τρισμυρίους σταδίους*). Quae item nulla ratione dicta esse possunt ex sententia Eratosthenis. Nam is secundum Strab. I, 4, 2, pg. 62 sq. (cf. Berger, pg. 142 sq. et 147) de 38 000 stad. cogitat. Latitudinem orbis esse 30 000 stad., contenditur alio quoque loco Strabonis (II, 1, 12, pg. 72), et hic Eratosthenes defenditur a vituperationibus Hipparchi, et cum non sit probabile Strabonem hic suam ipsius fundere scientiam, sed ex alio haustam, fortasse hoc quoque loco Posidonium auctorem esse non sine aliqua verisimilitudine sumere possumus. — Notionem vero, quae est *χλαμυδοειδής*, dicta de figura orbis terrarum, ab Eratosthene inventam esse non sine probabilitate contendit Bergerus pg. 219 sq.

Ut ad finem perveniam, Bergerus pg. 213 verba inde a *μυούρου δ' ὄντος τοῦ τμήματος τούτου* usque ad extremas voces Eratosthenis rationi respondere persuasum habet, neque ego invenio, quae contra dicam. Nam comparatio, quae instituitur per voces *γίνοιτ' ἂν τὸ σχῆμα προσόμοιον μαγειρικῇ κοπίδι* aptissime quadrat ad Eratosthenis indolem, ut non semel cognovimus.

In cp. **12** imprimis agitur de Tauro. Et, ut in universum dicam, tantopere Strabo negligit singulas res accuratis testimoniis fulcire, ut non semper aliquid certi eruere liceat. Saepissime vero Straboni Eratosthenem fontem primarium fuisse certis ex indiciis

---

[1]) cf. Zimmermann, in Hermae volum. XIII, pg. 106 sqq.

apparet, ita ut ultra probabilitatem procedere non videamur, cum sumimus, nisi certis vetamur causis de Eratosthene cogitare, eum semper esse auctorem. Transeamus ad singulas res.

In primis verbis § **1**, quae sunt *τὰ βόρεια μέρη τῆς Ἀσίας ποιεῖ ὁ Ταῦρος*, Strabo pedisequus est Eratosthenis, ut non cognoscere nequimus e Strab. II, 1, 1, pg. 68 (Berger, pg. 170 sqq.).

Verba quae sunt *μέρη ἃ δὴ καὶ ἐντὸς τοῦ Ταύρου καλοῦσιν*, repetuntur e II, 5, 31, pg. 129, et Bergerus (pg. 196) recte, ut equidem persuasum habeo, negat haec Eratosthenis exprimere sententiam; nam Strabo in huius (12) capitis § 5, suam sententiam expressis verbis opponit Eratosthenis, cum dicit: *καθ' ἡμᾶς μὲν τοίνυν προσάρκτια ἂν εἴη τὰ ἔθνη ταῦτα, ἐπειδὴ καὶ ἐντὸς τοῦ Ταύρου, Ἐρατοσθένης δὲ πεποιημένος τὴν διαίρεσιν εἰς τὰ νότια μέρη καὶ τὰ προσάρκτια κτλ.* — Ea quoque quae sequuntur *τούτων*, scil. *τῶν βορείων μερῶν, ἐστὶ καὶ τὰ ἐν τοῖς ὄρεσιν αὐτοῖς ἢ ὅλα ἢ τὰ πλεῖστα*, quodammodo contra Eratosthenem dicta sunt, id quod ex eadem § 5 facillime cognoscimus (cf. Neumann, l. l. pg. 326).

Strabonem ipsum huius opinionis extitisse inventorem mihi non est credibile, immo censeo eum recepisse illam a Posidonio, Eratosthenis correctore. Quare toto in hoc tomo non tam Eratosthenes ipse quam Eratosthenes a Posidonio emendatus Straboni videtur praesto fuisse.

Verba quae sequuntur usque ad *ταῖς Κασπίαις πύλαις*, Strabo tamquam prooemium praemittit neque quidquam aliud facit, nisi ut adludat ad ea, quae sunt iam commemorata (cf. XI, 1, 7, pg. 492). — Ea quae finem faciunt (inde a *παράκειται ἡ Μηδία*), Strabo non iam ex ipsius ingenio videtur fudisse, sed auctore quodam adhibito. Qui videtur fuisse Eratosthenes. Nam ea, quae sunt *ἐν μέσῳ τῷ Ταύρῳ κειμένη* et quae sequuntur usque ad finem, repetuntur in huius capitis § 4, idque multo uberius atque diligentius. Et huius § 4 auctor est, ut mox intelligemus, Eratosthenes. Multo vero magis hoc loco quam in § 4 Strabo fontis verba mutavit in suum

usum atque in angustum coëgit, quippe quae praefationis loco fierent.

§ 2 omnibus indiciis diligenter pensitatis facere nequeo, quin item ex Eratosthenis pendere auctoritate contendam. Hoc enim ab initio statuendum est singula enuntiata tantopere inter se cohaerere, ut non liceat de compluribus cogitare fontibus. Atqui verba, quae sunt *τὸ ὄρος τοῦτο*, nim. *ὁ Ταῦρος*, usque ad *κατὰ τὰς Χελιδονίας*, mutatis mutandis paene eadem invenimus XIV, 2, 1, pg. 651 et ibid. 3, 8, pg. 666. Haec vero niti Eratosthenis doctrina, cognoscemus, cum comparaverimus Strab. XV, 1, 10 sq., pg. 689 (cf. Berger, pg. 224 sq.); Arr. Ind. 2, 2; eiusdem anab. V, 5, 2 sq. (cf. Berger, pg. 171 sqq.). — Igitur videtur liquere initium, cum idem fere significet quod Arriani verba, redire ad Eratosthenem. Cum vero in reliqua parte nihil reperiatur, quod contra Eratosthenem dicat, non est cur statuamus hanc ex alio fluxisse auctore, quippe quae — ut iam adnotavi — cohaereat quam arctissime cum principio.

Non aliter censeo rem se habere in § 3. Nam confido aliquid certi nos enucleare posse, cum hanc comparaverimus cum cp. 14, § 8, in qua simillima ratione cursus Tigridis Euphratisque narratur. Atqui in 14, § 8 Straboni Eratosthenem praesto fuisse mihi persuasit Bergerus (pg. 255 et 257). Ergo hic quoque permulta Strabo debet geographo Cyrenaeo.

Omnia ad eum redire dubito contendere, cum testimonia alia prorsus desint, quibus hoc evinci possit. Sed ab altera parte ne cum Fabricio quidem facio, qui l. l. pg. 135 verba *διέχουσιν ἀλλήλων* usque ad finem et pg. 141 verba *ῥέων ἐπὶ δύσιν* usque ad *ἐπὶ τὴν Συρίαν* Theophani Mytilenaeo assignat. Neque ullam protulit causam neque ego perspicere possum, nisi quod forte putat his verbis tam diligentem scientiam illarum regionum aperiri, quae vix Eratosthenis esse possit, immo posterioris historiographi. — Meram atque integram hoc loco occurrere Eratosthenis sententiam non audeo affirmare, immo enimvero nonnullis rebus eum in modum possumus uti, ut censeamus Strabonem hoc quoque loco Eratosthenis disciplinam cognitam habere ex alio auc-

tore, qui illam nonnullis in rebus permutavit correxitque, nim. Posidonio. Nam in 14, § 8, quam adhibui ad huius loci originem Eratosthenicam probandam, haec verba finem faciunt: *καθάπερ εἴρηταί που ἐν τοῖς πρὸς Ἐρατοσθένην καὶ Ἵππαρχον λόγοις.* Quali vero Strabo est sagacitate diligentiaque, fortasse a vero non aberramus suspicati hos *πρὸς Ἐρατοσθένην καὶ Ἵππαρχον λόγους* non Strabonem ipsum excogitasse, immo Posidonium.

Eadem fere dicenda videntur de § 4. Hic quoque primarium fontem esse Eratosthenem persuasum habeo et fortasse testimoniis nonnullis hoc demonstrare possum: Cum eis enim, quae hic scribuntur *πέραν τοῦ Εὐφράτου* usque ad *μέχρι Ἰβήρων καὶ Ἀλβανῶν*, conferas velim ea, quae simillima extant XI, 2, 15, pg. 497 (*ἀγκῶνες δέ τινες . . . τὸ νότιον τῆς Ἀρμενίας πλευρόν*). Hunc autem locum Neumannus l. l. pg. 338 sqq. luculentissime videtur demonstrasse ad neminem alium tanta cum verisimilitudine spectare, quanta ad Eratosthenem. — Deinde non incertam ansam praebent voces: *τὰ ὑπερκείμενα τῆς Κασπίας θαλάττης . . . τὰ συνάπτοντα τῇ Ἀρίᾳ.* Paene eadem legibus in cp. 8, § 1, et hic fontis instar Straboni fuisse Eratosthenem Behrius videtur probasse (pg. 18). Praeterea a vocibus: *Ταῦρος διορίζων τὴν Σωφηνὴν καὶ τὴν ἄλλην Ἀρμενίαν ἀπὸ τῆς Μεσοποταμίας*, non aliena sunt quae extant XVI, 1, 21, pg. 746; atqui hanc § data occasione Eratostheni vindicavi.

Tum nonnihil proficimus ex verbis *τὰ νότια ὄρη . . . κατὰ τὸ νότιον τῆς ὀρεινῆς πλευρόν.* Haec comparare lubeat cum cp. 14, § 8, quem locum non moleste fero a Fabricio pg. 34 Eratostheni addici. Denique aptum videtur cum verbis, quae sunt *ἡ Μηδία καὶ ἡ Ἀρμενία . . . αὐλῶνας μεγάλους*, conferre cp. 14, § 4, de qua infra dicendum erit.

Jam pervenimus ad extremum § (5). Quae de primo enuntiato (usque ad vocem *Ἐρατοσθένης*) mea sit sententia, supra satis exposui. Et ne in reliqua quidem parte (cf. Berger, pg. 196) Strabo cum Eratosthene facit, immo vehementissime in eum pugnat. Et fortasse verum cognovimus, cum contendimus hanc Eratosthenis

reprehensionem non e Strabone ipso ortam esse, immo susceptam esse e Posidonio.

Cp. **13**, § **6** perscrutantibus statim occurrit nomen Nearchi, unde liquet Strabonem hic illo usum esse. Hoc fragmentum pertinet inde a *Νέαρχός δέ φησιν* usque ad *ἐπιθέμενον χειμῶνος* (frgt. 34).[1]) Quod attinet ad initium, ex eodem id suppeditasse fonte mihi persuasi, ex quo ea, quae post Nearchi fragmentum extant. Nam per voces *τούτοις τε δὴ ἀφορίζεται πρὸς ἕω* ea rursus suscipiuntur, quae in primo enuntiato leguntur *ὁρίζεται ἀπὸ τῆς ἕω*, et praeterea voculae *τοῖς Παραιτακηνοῖς, οἳ συνάπτουσι Πέρσαις ὀρεινοὶ καὶ αὐτοὶ καὶ λῃστρικοί*, spectant ad *τοῖς Κοσσαίων ὄρεσι λῃστρικῶν ἀνθρώπων*. Quare videmus totum fragmentum Nearchi sententiarum conexum discindere et dirumpere et a Strabone fortasse sola ea de causa insertum esse, quod simile prae se fert argumentum.

In quaestione vero, cui et initium et ea, quae incipiuntur *τούτοις τε δὴ ἀφορίζεται*, addicamus, a Strabone ipso optime adiuvamur, cum in fine verbis utatur *ὥς φησιν Ἀπολλόδωρος Ἀρταμιτηνός*. Quamquam Muellerus (h. Gr. frgt. IV, pg. 308) Apollodori fragmentum a verbis demum *εἰσὶ δὲ καὶ Ἑλληνίδες πόλεις* incohat, tamen fortasse ea quoque, quae antecedunt (a *τούτοις τε δὴ ἀφορίζεται*) illi assignare licet. Vix enim quemquam effugiet, quanta vi Apollodorus verba *Ἑλληνίδες πόλεις* premat. Hoc nimirum facit oppositionis cuiusdam causa, quippe cum in antecedentibus soli *λῃστρικοὶ ἄνθρωποι* commemorati sint. Quare sententiarum coniunctio multo simplicior integriorque videtur, si sumimus hanc oppositionem ab Apollodoro ipso factam esse, ergo omnia huius § ad illum redundare excepto Nearchi fragmento. — Neque alienum est cum verbis, quae exarata sunt: *τῇ Ἀπολλωνιάτιδι, ἣν Σιτακηνὴν ἐκάλουν οἱ παλαιοί*, comparare XV, 3, 12, pg. 732, ubi similia leguntur: *γειτνιᾷ τῇ Σουσίδι*

---

[1]) Fortasse Strabo in his scribendis non denuo inspexit Nearchum, sed — ut aliis locis iam adnotavi — huius notitiam desumpsit e suo libello, quem de Alexandro Magno composuit.

τῆς Βαβυλωνίας ἡ Σιτακηνὴ μὲν πρότερον, Ἀπολλωνιᾶτις δὲ ὕστερον προσαγορευθεῖσα. Quae magno cum gaudio video a Vogelio quoque Apollodoro assignari. —

In § **7** confido nonnihil lucri nos parare posse, si verba *ἡ πολλὴ μὲν οὖν* (scil. *Μηδία*) *ὑψηλή ἐστι καὶ ψυχρά· τοιαῦτα δὲ καὶ τὰ ὑπερκείμενα τῶν Ἐκβατάνων ὄρη . . . καὶ καθόλου τὰ προσάρκτια μέρη κτλ*, contulerimus cum huius capitis § 11 *τῆς δ'ἄλλης Μηδίας εὐδαιμονούσης τελέως λυπρά ἐστιν ἡ προσάρκτιος ὀρεινή.* Hanc vero § mox studebo evincere e Posidonio fluxisse. — Deinde, ut sumamus a Posidonio in hac quoque § 7 Strabonem pendere, commoveri videmur verbis *ἱππόβοτος δὲ καὶ αὕτη* (scil. *ἡ Μηδία*) *ἐστὶ διαφερόντως καὶ ἡ Ἀρμενία . . . ἰδιόμορφοι δέ εἰσιν, ὥςπερ καὶ οἱ Παρθικοὶ λεγόμενοι νῦν.* Nam Posidonii frgt. 51 (= Strab. III, pg. 163) documento est ei indolem illorum equorum Parthicorum non ignotam fuisse.

Tum in proximis accurate atque diligenter de silphii natura atque de causis bonorum malorumve fructuum huius plantae agitur, et verba: *ὀπός, πολὺ λειπόμενος τοῦ Κυρηναϊκοῦ*, ostendunt Strabonem haec desumpsisse ex scriptore, qui de Cyrenaïco quoque silphio egerat. Qua in re haud paulum adiuvamur loco Strabonis, qui extat II, 2, 3, pg. 95, ex quo comperimus Posidonium illam plantam in operibus suis commemorasse. Quare fortasse concludere licet, ut priorem partem paragraphi, ita haec quoque extrema verba redire ad Rhodium illum clarissimum, praesertim cum ratio quaedam philosophandi quam locus spirat, aptissime quadret ad Posidonii mentem.

§§ **9—11**, cum de eodem argumento, scil. de moribus ritibusque Medorum agant, simul tractem. Hic certum finem adipisci possumus, si extrema verba respeximus: *τὰ κατὰ τὴν Ἀρμενίαν Ἰασόνια . . . περὶ ὧν ἐρ ο ῦ μ ε ν.* Locus ille, quo Strabo se uberius disserturum esse profitetur, extat cp. 14, § 12, atque procul dubio utroque loco idem fons exhaustus est. Atqui 14, § 12 — ut suo loco demonstrare non omittam —, fontes primarii sunt Medius atque Cyrsilus, scriptores Macedonici.

Praeterea Neumannus l. l. pg. 347 rectissime, ut persuasum habeo, contendit Strab. XI, 4, 8, pg. 503 ad eundem respicere fontem, ad quem 14, § 12. Similitudo

vero huius loci et eius, qui tractatur, tanta est, ut facere non possimus, quin profiteamur hanc quoque § 10 ex eodem auctore exscriptam esse.

Minime equidem solus hanc profiteor sententiam, sed Ottonem (pg. 221) habeo adiutorem valentissimum. Fabricius quoque pg. 81 et 126 sq. quodammodo mecum consentit, cum affirmat fontem quidem Strabonis esse Theophanem, hunc autem exscripsisse Medium illum atque Cyrsilum. Ut quaestionem, num Fabricius recte hoc putet, iam in suspenso relinquam, hoc declarem: nonnullis ex causis existimem Strabonem praeter Medium et Cyrsilum alium quoque auctorem in auxilium vocasse; sunt nim. imprimis verba geographici argumenti (*ἔστι καὶ ὄρος ... Ἰασόνιον*), quae non videntur quadrare ad Medium atque Cyrsilum. Tum vero extremum quoque enuntiatum (*ὁμολογεῖ τούτοις κτλ*), quippe in quo provocetur ad posteriorem locum, id est ad memoriam Cyrsili et Medii, apertum est non ex his scriptoribus desumptum esse, sed sive alio ex auctore sive a Strabone ipso excogitatum. Discernemus autem quaestionem, si § 11 perscrutati erimus. Premenda sunt verba in fine posita: *περὶ δὲ τῶν νομίμων ... ἐπειδὴ ταὐτὰ τοῖς Περσικοῖς γεγένηται ... ἐν τῷ περὶ ἐκείνων λόγῳ φήσομεν.* Ex his satis superque elucet §§ 9 usque ad 11, quippe quae agant *περὶ ἐθῶν* vel *νομίμων τῶν Μήδων*, ad eundem spectare scriptorem atque ad eum quidem, qui per Strabonis verba indicatur *ἐν τῷ περὶ ἐκείνων λόγῳ φήσομεν.* In animo Strabo nim. habet XV, 3, 13—20, pg. 732—735.

Atqui Vogelius in philologi volum. 41, pg. 522 professus est has partes libri XV exhibitas esse e Posidonii libris. Ergo nihil restat, nisi ut de §§ 9—11, quae perquiruntur, idem cogitemus. Et re vera in § 9 Posidonii mihi videor sentire spiritum, quippe quae de diversis climatis Medorum atque Persarum disputet, et in § 10 adnotatio geographici generis (*ἔστιν ὄρος ... Ἰασόνιον*) minime pugnat contra stoïci illius mores. In hac § 10 arbitrari debemus Posidonium sua repetiisse e Medii Cyrsilique memoria, ad omnes vero has tres §§ in usum vocasse Herodoti libros (I, 134 sq.; VII, 61 sq.).

Fabricii autem opinionem, cum causas non protulerit

ad eam stabiliendam fulciendamque, item mihi non opus est causis refellere. Hoc solum, ut superiore loco (pg. 51), cum Ottone (pg. 221) moneo prorsus improbabile esse Theophanem a multis scriptoribus auxilium petivisse, id quod auctorem harum §§ 9—11 satis superque fecisse nemo non videbit. — Denique commemorem ipsius Posidonii historias propter crebritatem morum depictorum notas clarasque fuisse.

In cp. **14**, § **4** fontibus indagandis permultum adiuvamur eo, quod nomen ipsum Theophanis tanquam auctoris affertur. Muellerus (h. Gr. frgt. III, pg. 315) frgti huius initium facit inde a vocibus *ἡ δὲ Χορζηνὴ* et usque ad finem § pertinere illud persuasum habet. Equidem cum eo plane consentio; nam quaecunque hoc loco enarrantur, tantopere inter se cohaerent, ut dirimenda non sint neque diversis auctoribus tribuenda. Fabricius (pg. 31 et 135) non solum hanc partem, sed ea quoque, quae praecedunt, Theophani addicit. Notitiam enim Armeniae, quam ex hac § cognoscamus, tantam esse tamque absolutam, ut etiamsi Theophanis nomen non exhibeatur, tamen de nullo alio auctore cogitare debeamus. Equidem vero facere nequeo, quin adversarii partes suscipiam. Proficiscar enim a nomine Apollonidis prope Theophanis exhibito. Qualis est sententiarum conexus, neminem esse contendam, quin concedat non solum Theophanem adhibitum esse, sed etiam Apollonidem. Cum vero Apollonides scriptor sit valde ignotus, et Strabo et Theophanes vix existimari possunt ipsius periplum Apollonidis perlustrasse, immo sumendum est Strabonem eius verba invenisse apud eum auctorem, quem ipse quidem hoc loco sequitur. Atqui in cp. 13, § 1, ubi idem Apollonides citatur, Fabricius — et ipse prorsus adsentior — non sine causis suspicatur fortasse apud Posidonium nomen Apollonidis extitisse. Et hoc quoque loco, de quo disputo, narratio illa mirabilis, quae in posteriore dimidio de vermibus illis fit, minime discrepat a natura Apamensis. Tum vero in initio perlegendo neminem fortasse fugiet, quam similis sit 12, § 4; atqui hanc § ita Eratostheni tribueram, ut contenderem illius verba quodammodo emendata esse a Posidonio.

Quae cum ita sint, totum hunc locum Posidonio tribuam. Nam cum iam sciamus Posidonium Pompei quoque res descripsisse, non alienum est putare illum Theophanis quoque commentarios, cuius nomen hic affertur, adhibuisse.

In § **11** Theophanem usurpatum esse nomen ipsius testatur. Iam vero restat quaestio, cui Strabo debeat correctionem verborum Theophanis, quae inest posteriori parti paragraphi. Hic rursus facere non possum, quin Fabricii reprehendam confidentiam nimiam. In pg. enim 35 (et 134) ostendere studet illam emendationem niti in Eratosthene. Sed argumenta quae profert, non modo non persuadent, immo prorsus sunt falsa. Haec est illius ratio: ‚Apud Eratosthenem quoque Arbela non multo magis in occasum solis spectant quam finis orientalis Armeniae. Spatium autem, quod est inter Arbela et Tigrin, conicere possumus ab Eratosthene 1500 stad. computatum esse. Ergo, cum Eratosthenes a Tigri ad Euphratem, id est ad finem occidentalem Armeniae, 2400 stad. esse velit, apparet secundum Eratosthenem longitudinem Armeniae esse 3900 stad., qui numerus optime quadrat cum computatione a Strabone probata‘.

Neque vero recte Fabricius ratiocinatur. Arbela enim ab Eratosthene nusquam commemorantur, ita ut minime scire possimus, quae ratio secundum eum inter hoc oppidum et finem orientalem Armeniae sit, et eodem modo Fabricius sumit Eratosthenis opinione Arbela a Tigri distare 1500 stadia. Neque altera melior videtur ratio computandi, quam Fabricius in pg. 36 commendat. Quid enim dicam, quod contendit Tarsum et Amisum secundum Eratosthenem sub eodem esse meridiano, quamquam ne unum quidem extat testimonium? Equidem, ne longus sim, hoc modo Fabricii verba repelli posse censeo: Scimus e Strab. II, 1, 3, pg. 68 secundum Eratosthenem inter Issum et Amisum interesse 3000 stad.; cum autem illa oppida non tantum inter se distent, quantum finis septentrionalis et meridianus Armeniae, sumendum est Eratosthenis arbitrio latitudinem Armeniae esse circa 4000 stad., id est tantam, quantam esse

Strabo omnibus viribus redarguere studet. Ergo e contrario Theophanis et Eratosthenis eadem videtur fuisse sententia (cf. Berger, pg. 262 sq.). Quae cum ita se habeant, quem putemus a Strabone adhibitum esse, ut Theophanis sive Eratosthenis emendaret numeros? Fortasse hac in quaestione subdifficili non nimis a veritate aberramus, si memores, quae necessitudo inter Eratosthenem et Posidonium intercesserit, conicimus huius Strabonem usum esse auxilio.

§§ **12—14** una eademque esse indole per se apparet, et eidem eas deberi auctori probabile fit vel ex primis verbis paragraphi 15 (*ὁ μὲν δὴ παλαιὸς λόγος οὗτος*), quae sine dubio respondent vocibus initio § 12 positis (*ἀρχαιολογία δέ τίς ἐστιν*). — Verba quae sunt *φασὶν . . . οἱ περὶ Κυρσίλον τὸν Φαρσάλιον καὶ Μήδιον τὸν Λαρισαῖον*, palam profitentur hos scriptores hic usurpatos esse, et hoc loco Fabricii sententia item impugnanda mihi videtur, secundum quam iam in cp. 13, § 10 asseverat horum scriptorum mentionem Strabonem invenisse apud Theophanem. Sed ne hic quidem puto Medium Cyrsilumque ipsos a Strabone inspectos esse, immo tertio scriptori quem Strabo ipsum auctorem habuit, haec nomina deberi. Hoc concludo non ex una tantum re: Primum verba § 12 *ἔδει μὲν γὰρ* usque ad *ἐν τοῖς ἀναπλάσμασιν* vix ea sunt, quae ab illis scriptoribus orta sint; immo sunt scriptoris ingeniosi, qui ex natura climatum non nesciat conclusiones facere de discriminibus populorum. Deinde item Medio et Cyrsilo abiudicanda sunt verba § 13: *οὗτος μὲν οὖν ὁ λόγος . . . οὐ πάνυ* (cf. Herod. I, 202) et voces *καὶ Καλλισθένης δὲ ἠκολούθησεν αὐτῷ*. Auctorem vero harum §§ non habeo, cur alium statuam atque cp. 13, § 10, nim. Posidonium.

Rectam vero hanc coniecturam esse paene cogimur arbitrari, cum gravissimis causis demonstrari possit verba § 13: *καλεῖσθαι γὰρ Ἀράξην . . . τὰ Τέμπη*, ad Posidonium redire. Ergo si haec sunt Apamensis, summa iniuria cetera enuntiata §§ 12—14 ei abiudicaremus, quia haec ab illis verbis omnino dirimenda non sunt.

Ac primum quidem nobis persuadeamus Strabonis locum qui tractatur eidem auctori deberi, cui IX, 5, 2,

pg. 430 (*τὸ παλαιὸν ... ἀνέψυξε τὴν χώραν ταύτην*). — Quibus voculis simillima legimus Senec. natur. quaest. VI, 25 (Cum spiritus magna vi ... spiritum convenire). In his sine dubio redditur Posidonii sententia, a quo Senecam omnino saepissime auxilium petivisse inter omnes constat.[1]) Quod ad demonstrandum afferam Diog. Laert. VII, 154 (*τοὺς σεισμοὺς δὲ γίνεσθαι ... καθά φησι Ποσειδώνιος*). Et Seneca ipse proclamat se Posidonio uti auctore in cp. 24 extremo fine: ‚idem Sidone accidisse (scil. terrae motum) Posidonio crede'. — Quae cum ita sint, Strabonis quoque verba IX, 5, 2 remanant ad Posidonium; et item nil restat, nisi ut eum quoque locum, de quo verba facimus, Posidonio demus.

De extrema § (**16**) Fabricius pg. 38 sq. et 149 sq. dicit sine dubio hic Theophanem praesto esse. Nam re vera Theophanem etiam de talibus rebus verba fecisse apparere ex XI, 4, 7, pg. 503, ubi de Albanorum sacris institutis idem narret. Sed minime tam certum est hanc § pgae 503 ostendere Theophanem auctorem. Et ne hoc quidem loco, qui tractandus est, cum Fabricio consentire possum. Nam enuntiatum, quod est *τοιοῦτον δέ τι καὶ Ἡρόδοτος* (I, 93 et 199) *λέγει*, testimonii loco est scriptorem, quem Strabo usurpavit, Herodoti quoque narrationem respexisse. Quod non quadrare ad Theophanem aliis iam locis professus sum. Et praeterea initium (*ἅπαντα τὰ τῶν Περσῶν ἱερὰ καὶ Μῆδοι καὶ Ἀρμένιοι τετιμήκασι*) spectat ad auctorem, qui non solum de Armeniis, sed de Persis et Medis quoque egit. Ergo de Theophane cogitare vetamur.

Equidem provoco ad cp. 13, § 9 (*ἔθη τὰ πολλὰ τὰ αὐτὰ τούτοις τε*, scil. *Μήδοις, καὶ τοῖς Ἀρμενίοις διὰ τὸ τὴν χώραν παραπλησίαν εἶναι*). Quae verba quis est, quin intelligat simillima esse eis, quae in hac § 16 leguntur: *ἅπαντα τὰ τῶν Περσῶν ἱερὰ καὶ Μῆδοι καὶ Ἀρμένιοι τετιμήκασι*. Cum vero illam § compluribus permotus causis Posidonio assignaverim, facere nequeo, quin hoc quoque loco contendam Strabonem in hac morum

---

[1]) cf. Diels, doxograph. pg. 19, 225, 229; Rusch, de Posidonio etc. pg. 18 sqq.

descriptione secutum esse Posidonii auctoritatem, quem tales res in deliciis habuisse non est ignotum. —

III.

Epimetrum criticum.

In Strabonis libris perlegendis complures inveni locos, quos non recte adhuc exarari pro certo habeam. De his in fine dissertationis brevi exponere mihi liceat:

VI, 1, 9, pg. **260**: *φησὶ Τίμαιος . . . νικῆσαι τὸν Εὔνομον καὶ ἀναθεῖναι τὴν λεχθεῖσαν εἰκόνα ἐν τῇ πατρίδι, ἐπειδὴ κατὰ τὸν ἀγῶνα μιᾶς τῶν χορδῶν ῥαγείσης ἐπιστὰς τέττιξ ἐκπληρώσειε τὸν φθόγγον.* Verbum *ἐπιστὰς* minus aptum mihi videtur esse, cum non tam insistendi desideremus significationem quam involandi. Ergo omnia optime quadrarent, si pro *ἐπιστὰς* traditum esset *ἐπιπτὰς*. Quae forma idem valet quod *ἐπιπτόμενος* teste loco, qui extat IV, 4, 6, pg. 198: *τοὺς ὄρνεις ἐπιπτάντας.* Praeterea vero illam formam adhibet Antigonus in histor. mirab. cp. 1, eundem secutus auctorem, quem Strabo, scil. Timaeum: *Τίμαιος . . . φησὶ . . . ἐνίκησεν Εὔνομος ὁ Λοκρὸς παρὰ τοιαύτην αἰτίαν· ᾄδοντος αὐτοῦ μεταξὺ τέττιξ ἐπὶ τὴν λύραν ἐπιπτὰς ᾖδεν.* Denique Cono in enarratione 5 (Phot. cod. 186), item agit hac de fabula, ipse sine dubio secutus eundem auctorem: *Εὔνομος τέττιγος ᾠδῇ κρατεῖ τοῦ ἀνταγωνιστοῦ . . . μιᾶς ῥαγείσης τῶν χορδῶν, τέττιξ ἐπιπτὰς τῇ κιθάρᾳ τὸ λεῖπον ἀνεπλήρωσε τῆς ᾠδῆς.* — Haec coniectura *ἐπιπτὰς* iam a Goellero in libri, quem inscripsit de situ et origine Syracusarum, pg. 302 sq. (Timaei frgt. 126) commendata miror, cur non a recentissimis Strabonis editoribus accepta sit.

VII, 5, 5, pg. **315** in verbis *ἴδιον δὲ τῶν Δαλματέων τὸ διὰ ὀκταετηρίδος χώρας ἀναδασμὸν ποιεῖσθαι,* pro *χώρας* scribendum esse conicio *τῆς χώρας.* Tres enim habeo testes, quorum auctoritate fretus contendam Strabonem

τῆς χώρας scripsisse. Sunt epitomator Strabonianus, Stephanus Byzantius, Eustathius; quos omnes e Strabone hausisse nemo erit, quin intelligat. Epitomator sic scribit: *ὅτι ἴδιον τῶν Δαλματέων τὸ διὰ ὀκταετηρίδος ἀναδασμὸν ποιεῖσθαι τῆς χώρας.* — Deinde Stephanus sub verbo *Δάλμιον* haec memoriae prodit: *Δάλμιον, πόλις Δαλματίας . . . ἴδιον δὲ τῶν Δαλματέων τὸ διὰ ὀκταετηρίδος τῆς χώρας ἀναδασμὸν ποιεῖσθαι.* — Postremo Eustathius refert ad Dionysii versum 97 explicandum (Mueller, geogr. Gr. min. II, pg. 235, v. 34 sqq.): *φασὶ δὲ τοὺς Δαλματεῖς δὶ ὀκταετηρίδος ποιεῖσθαι τῆς χώρας ἀναδασμόν.*

XI, 8, 5, pg. **512**: *οἱ μὲν οὖν οὕτω λέγουσι περὶ τῶν Σακῶν, οἱ δ' ὅτι Κῦρος ἐπιστρατεύσας τοῖς Σάκαις ἡττηθεὶς τῇ μάχῃ φεύγει.* Nomen proprium, quod est *τῶν Σακῶν*, corruptum esse censeo. Nam e §§ 4 et 5 elucet non tam agi de diversis narrationibus, quae extant de Sacis ipsis, quam quae sunt de die sollemni Sacaeorum. Neque enim Strabo aliud quidquam vult nisi ostendere originem horum Sacaeorum diversis modis explicari. Quare expectamus non per verba *οἱ μὲν οὕτω λέγουσι περὶ τῶν Σακῶν, οἱ δὲ* alteram alteri opponi narrationem, immo per voces *οἱ μὲν οὕτω λέγουσι περὶ τῶν Σακαίων, οἱ δὲ κτλ.*

XVI, 1, 14, pg. **742** adhuc omnibus in editionibus sic legitur: *ἡ χώρα φέρει κριθὰς μέν, ὅσας οὐκ ἄλλη . . . τὰ δὲ ἄλλα ἐκ τοῦ φοίνικος παρέχεται· καὶ γὰρ ἄρτον καὶ οἶνον καὶ ὄξος καὶ μέλι καὶ ἄλφιτα.* Pro eis quae sunt *καὶ γὰρ ἄρτον* codex *E*, quem optimum fere esse intelliges e Krameri praefationis pg. XLII, porrigit *ἐκ γὰρ αὐτοῦ.* Agitur nim. de vario usu fructuum palmarum, et adhuc enumerantur ex illis comparata panis, vinum, acetum, mel, farina. Ego vero offendo quam maxime in eo, quod hoc loco praeter farinam (*ἄλφιτα*) panis quoque (*ἄρτος*) commemoratur. Per se quidem haec res scrupulum movere non debet, quia (cf. Xen. mem. II, 7, 5) *ἄρτος* propria vi significat panem triticeum, *ἄλφιτα* vero farinam hordeaceam vel ea, quae ex hac farina fiunt. Hoc vero loco plane est supervacaneum, ne dicam ineptum, post alteram rem alteram quoque significare. Nam cum hic solis de palmis agatur atque eis rebus,

quae ex fructibus earum parantur, illa differentia inter *ἄρτον* et *ἄλφιτα* stare non potest, immo *ἄρτος* nihil aliud significare potest nisi id, quod *ἐξ ἀλφίτων* coquitur. Quare suadeo, ut lectionem codicis *E* genuinam esse arbitremur et scribamus: *ἐκ γὰρ αὐτοῦ καὶ οἶνον καὶ ὄξος καὶ μέλι καὶ ἄλφιτα κτλ.*

XVI, 2, 31, pg. **759** haud mihi arridet, quod Kramerus, Muellerus, Meinekius fide ceterorum codicum, qui exhibent *Ῥινοκόλουρα*, praetermissa, lectionem unius codicis *E*, quae est *Ῥινοκόρουρα*, textu receperunt. Atque omnino, utrum per se *Ῥινοκόλουρα* an *Ῥινοκόρουρα* praeferendum sit, vix videtur disceptari posse. Nam utramque formam in usu fuisse sescentis locis probatur.

Hoc vero loco, de quo disputamus, solam formam *Ῥινοκόλουρα* adhibendam esse censeo, quia in proximis verbis (*ἀπὸ τῶν εἰςῳκισμένων ἐκεῖ τὸ παλαιὸν ἀνθρώπων ἠκρωτηριασμένων τὰς ῥῖνας οὕτω καλουμένη*) tanquam origo nominis illustratur; nimirum dicitur *Ῥινοκόλουρα ἀπὸ τῶν τὰς ῥῖνας κολουρῶν* (cf. Diod. Sicul. I, 60 et Senec. de ira III, 20). Tota igitur haec explanatio ad irritum redigitur atque vana est, si *Ῥινοκόρουρα* scribitur.

XVI, 4, 20, pg. **779** optimis in codicibus haec sunt exarata: *ἱπποφορβίου τινὸς ὑπὸ λεαίνης οἴστρῳ κατασχομένου ἐξελαθέντος μέχρι θαλάττης κτλ.* Formam, quam omnes melioris notae exhibent codices *κατασχομένου*, viri docti inde a Casaubono depravatam esse consentiunt atque in contextu restituendo codices ‚m o z‘ sequuntur, in quibus forma *κατασχομένης* tradita est. Sed nescio an hoc loco viri illi sapientissimi pravo usi sint iudicio.

Nam Agatharchides, a quo in descriptione maris Erythraei sese pendere Strabo ipse profitetur, haec habet § 4 (Mueller, geogr. Gr. min. I, pg. 113): *τούτου φορβάδων ἀγέλη μείζονι λέοντες ἐπορούσαντες τινὰς μὲν αὐτῶν ἀπέκτειναν· αἱ δὲ περισωθεῖσαι τῷ δέει τῆς ὕψεως οἶστρον λαβοῦσαι ἐπὶ τὴν θάλατταν ἠλαύνοντο κτλ.* In quibus voces *φορβάδες οἶστρον λαβοῦσαι* sine dubio quadrat ad *ἱπποφορβίου οἴστρῳ κατασχομένου*, non *κατασχομένης* (scil. *λεαίνης*). Praeterea Eustathius ad Dionysii v. 38 haec adnotat: *ὁ δὲ γεωγράφος* (scil. *Στράβων*)

. . . ταῦτα γράφει . . . περὶ τῆς Ἐρυθρᾶς . . . οἱ δὲ (scil. *λέγουσιν*) *ἀπὸ Ἐρύθρα τινός, πρώτου περαιωθέντος ἐπὶ σχεδίας εἴς τινα ἐκεῖ νῆσον, διὰ ἱπποφόρβιον οἰστρηθὲν ὑπὸ λεαίνης, κτλ.*

XVII, 1, 26, pg. **804** offendo in eis, quae leguntur *πλησίον δὲ τῆς Ἀρσινόης καὶ ἡ τῶν Ἡρώων ἐστὶ πόλις καὶ ἡ Κλεοπατρὶς ἐν τῷ μυχῷ τοῦ Ἀραβίου κόλπου τῷ πρὸς Αἴγυπτον.* Contendo enim haec verba interpolatione depravata esse, quae vocabulis *καὶ ἡ Κλεοπατρὶς* continetur. Strabo ipse enim paragrapho 25: *ἄλλη*, scil. *διῶρυξ, ἐστὶν ἐκδιδοῦσα εἰς τὴν Ἐρυθρὰν καὶ τὸν Ἀράβιον κόλπον κατὰ πόλιν Ἀρσινόην, ἣν ἔνιοι Κλεοπατρίδα καλοῦσιν*, affirmat Cleopatrida unam eandemque esse urbem quam Arsinoën. Et, id quod maximi est momenti, Strabo et in § 25 et in 26 eundem sequitur auctorem, nim. Artemidorum, quod Vogelius mihi probavit (philol. volum. 43, pg. 408).

Insuper apud nullum scriptorem occurrit urbs Cleopatris his in regionibus sita et quae diversa sit ab urbe Arsinoa. Ad discrimen vero quaestio videtur venire verbis, quae exarata sunt XVI, 4, 23, pg. 780: *ὁ δέ*, scil. *Αἴλιος Γάλλος, οὐκ ἔλαττον ὀγδοήκοντα ἐνουπηγήσατο δίκροτα . . . κατὰ Κλεοπατρίδα τὴν πρὸς τῇ παλαιᾷ διώρυγι τῇ ἀπὸ τοῦ Νείλου.* Verbis enim iam citatis (*ἄλλη δ' ἐστὶν ἐκδιδοῦσα . . . κατὰ πόλιν Ἀρσινόην*) nec non testimonio Diodori (I, 33: *ἐπὶ τῆς ἐκβολῆς πόλιν ἔχει ἡ διῶρυξ τὴν προσαγορευομένην Ἀρσινόην*) satis probatur urbem Arsinoën in ostio fossae et in litore ipso maris sitam esse. Atqui cum de verbis: *Αἴλιος Γάλλος . . . πρὸς τῇ παλαιᾷ διώρυγι τῇ ἀπὸ τοῦ Νείλου*, meo quidem iudicio consentaneum sit eum, qui classem instruit, qua per mare Erythraeum vecturus est, hanc in ipsa ora maris ornare, non loco, qui situs regione in mediterranea, sola fossa cum mari coniunctus est, aut sumendum est et Arsinoën et Cleopatrida sitam esse in ore fossae aut urbem Arsinoen eandem esse quam Cleopatrida. Cum autem illud concedendum mihi non videatur, quia Strabo, si ita res se habuisset, Arsinoae proximam urbem non Heroopolin, sed Cleopatrida dicere debuit in eis, quae sunt *πλησίον δὲ τῆς Ἀρσινόης . . . καὶ ἡ Κλεοπατρίς*, effici-

tur, ut oppidum Arsinoë non diversum sit a Cleopatride. Praeterea ne haec quidem omittam: Si sinus quis denominatur ab urbe, quae illi adiacet, luce clarius est nomen eius urbis illi tribui, quae aut in ultimo sinus recessu est aut potentia vel gloria vel qualibet re praeter ceteras floret. (Exempli gratia sinum Aelanitem afferam, sinum Corinthiacum, sinum Thermaïcum.) Quodsi eo loco Strabonis, qui tractatur, verba *καὶ ἡ Κλεοπατρὶς* retinuerimus, non Heroopolin, sed Cleopatrida in sinu maris Erythraei positam esse elucet secundum Strabonis ipsius testimonium (*ἡ τῶν Ἡρώων ἐστὶ πόλις καὶ ἡ Κλεοπατρὶς ἐν τῷ μυχῷ τοῦ Ἀραβίου κόλπου*). Ita ut mirari possimus, cur sinus ille Heroopolitanus, non Cleopatridius vocitatus sit (nam urbs Heroopolis minime tam est clara, ut propter id ipsum sinus nomen ab ea acceperit).

Denique commemorem facillime fieri potuisse, ut verba *καὶ ἡ Κλεοπατρὶς* in verborum contextum irreperent. Strabonem enim perlegenti, postquam § 25 comperit *κατὰ πόλιν Ἀρσινόην, ἣν ἔνιοι Κλεοπατρίδα καλοῦσιν*, in mentem venit ad verba, quae sunt in § 26 *πλησίον τῆς Ἀρσινόης*, in marginem ascribere *καὶ Κλεοπατρὶς* vel *ἢ Κλεοπατρὶς* vel tale quid. Scriba autem pro socordia atque stultitia arbitratus haec verba esse Strabonis per errorem omissa posteaque addita, ea mutatis mutandis in contextum inseruit. — Et re vera tales interpolationes non abhorrent a natura codicum Strabonis, velut Wachsmuthius demonstravit Strab. XIV, 5, 21, pg. 677 (agitur de Apollodoro Atheniensi) verba, quae sunt *ὁ δέ*, scil. *Ἀπολλόδωρος, καὶ χωρογραφίαν ἐξέδωκεν ἐν κωμικῷ μέτρῳ, γῆς περίοδον ἐπιγράψας*, expungenda esse.

XVII, 3, 8, pg. **829**: *Ἀρτεμίδωρος δ' Ἐρατοσθένει μὲν ἀντιλέγει, διότι Λίξον τινά φησι πόλιν περὶ τὰ ἄκρα τῆς Μαυρουσίας τὰ ἑσπέρια ἀντὶ Λυγγός· Φοινικικὰς δὲ πόλεις κατεσπασμένας παμπόλλας τινάς, ὧν οὐδὲν ἴδεῖν ἐστιν ἴχνος.* Id quod est *κατεσπασμένας*, solus codex F praebet, ceteri exhibent *κατεσκαμμένας*, exceptis ‚mox', in quibus *κατεσκευασμένας* legitur. Sed ne unam quidem ex his tribus lectionibus talem esse persuasum habeo, quae sine offensione verborum contextu recipiatur. Etenim in § 2, pg. 825 haec legimus: *πλησίον δὲ καὶ πολίχνιον*

μικρὸν ὑπὲρ τῆς θαλάττης, ὅπερ Τρίγγα καλοῦσιν οἱ βάρβαροι, Λύγγα δ' ὁ Ἀρτεμίδωρος προσηγόρευκεν, Ἐρατοσθένης δὲ Λίξον. . . . . πρὸς νότον δὲ τῇ Λίξῳ καὶ ταῖς Κώτεσι παράκειται κόλπος Ἐμπορικὸς καλούμενος, ἔχων Φοινικικὰς ἐμπορικὰς κατοικίας.

Cum in his extremis verbis Strabo formam adhibeat *Λίξον*, haud dubie pendet ab auctoritate Eratosthenis (cf. Ruge, l. l. pg. 17 sq.). Ergo Eratosthenes in § 2 colonias Phoenicum commemorat tanquam ipsius temporibus etiam habitatas, idem vero in § 8 easdem urbes dirutas esse dicit. Quod nemini rectum videbitur! E contrario contendam loco Strabonis, de quo disputo, Eratosthenem sive iure sive iniuria tradidisse illas Phoenicum urbes nondum e medio sublatas esse. — Insuper haec afferam momenta: Iam a Groskurdio cognitum est verba Artemidori, quae sunt *ὧν οὐδὲν ἰδεῖν ἐστιν ἴχνος*, probabili carere sensu, si forma *κατεσκαμμένας* vel *κατεσπασμένας* adhibetur. Nam haut ita aptum est Artemidorum per verba *ὧν οὐδὲν ἰδεῖν ἐστιν ἴχνος*, Eratostheni contradicere narranti *Φοινικικὰς πόλεις κατεσπασμένας τινάς*. Commoda vero videretur contradictio, si illa oppida etiam perstare Eratosthenes commemoraret.

Atqui constare videtur (cf. Berger, pg. 313 et 93) Eratosthenem explanationum, de quibus agitur, fontem adhibuisse Hannonis periplum. Et Hanno ipse has urbes, de quibus dico, condidit; id quod Plinius memoriae prodidit h. n. V, § 8: ‚Fuere et Hannonis Carthaginiensium ducis commentarii Punicis rebus florentissimis explorare ambitum Africae iussi, quem secuti plerique a Graecis nostrisque et alia quidem fabulosa et urbis multas ab eo conditas ibi prodidere, quarum nec memoria ulla nec vestigium extat'. Quae cum ita sint, fieri non potest, quin Eratosthenes quoque tradiderit has colonias perstare. Quare quid mirum me lectiones *κατεσκαμμένας* et *κατεσπασμένας* refutare? Restat, ut de forma *κατεσκευασμένας* codicibus ‚m o x' exhibita, breviter disputemus. Altera ex parte sententiam nostram hac lectione affirmari atque defendi, cum nihil de dirutis urbibus commemoretur, nemo est, quin perspiciat. Sed altera ex parte, ne *Φοινικικὸς πόλεις κατεσκευασμένας παμπόλλας*

τινὰς scribamus, gravissimo prohiberi videmur momento. Rectissime enim Groskurdius disserit participium *κατεσκευασμένας* sine additamento positum omnino esse inutile, cum urbes conditas esse per se intelligi possit. Quare vir ille doctissimus ut loci corruptelae succurreret, sagaciter coniecit nisus eis, quae in § 2 leguntur, ante vocem *κατεσκευασμένας* textum lacuna hiare, quam supplendam esse hisce fere verbis: *ἐν τῷ Ἐμπορικῷ κόλπῳ.* Quae quamvis subtiliter excogitata tamen accipere nequeo. Cum enim Groskurdius non modo eos secutus sit codices, qui minima sunt auctoritate, nim. ‚m o x', atque praeterea sumere debeat textum Strabonis lacuna dilaceratum esse, equidem contendam formam *κατεσκευασμένας* nihil aliud esse nisi coniecturam, qua optimorum codicum lectio *κατεσκαμμένας* vel *κατεσπασμένας* corrigatur.

Ipse vocis *κατεσπασμένας* una, formae *κατεσκαμμένας* duabus mutatis litterulis scribam *Φοινικικὰς δὲ πόλεις κατεσπαρμένας παμπόλλας τινάς.* Quam vocem *κατεσπαρμένας* minimam praebere offensionem mihi persuasi, quoniam XVII, 1, 52, pg. 819 legi: *νήσους δ' ὁ Νεῖλος κατεσπαρμένας ἔχει παμπόλλας.*

XVII, 3, 20, pg. 835: *ἡ χαλεπότης δὲ καὶ ταύτης τῆς σύρτεως καὶ τῆς μικρᾶς, ὅτι πολλαχοῦ τεναγώδης ἐστὶν ὁ βυθὸς καὶ κατὰ τὰς ἀμπώτεις καὶ τὰς πλημμυρίδας συμβαίνει τισὶν ἐμπίπτειν εἰς τὰ βράχη καὶ καθίζειν, σπάνιον δ' εἶναι τὸ σωζόμενον σκάφος.* Horum verborum conexum post *τῆς μικρᾶς* haud parvo interruptum esse hiatu inter omnes videtur viros doctos constare. Atque profecto, ut a Strabone non raro vox *ἐστὶ* atque aliae quoque formae verbi *εἶναι* omittuntur, ita hoc loco tali explicatione nil proficimus. Neque enim hic *ἐστὶν* sive potius *ἔστιν* omittere licet, cum non copula, sed integra forma verbalis sit.

In lacuna supplenda editores omnes Groskurdium videntur secuti esse, qui post *τῆς μικρᾶς* verba *ἐκ τούτου γίνεται* vel similia inserere vult. Quod recte excogitatum esse neque quisquam erit, qui neget, et ne ego quidem is essem, qui aliam rationem viamque medelae proponere auderem, nisi satis firmo argumento eam stabilire posse mihi viderer. Scribam enim haec: *ἡ χαλεπότης δὲ καὶ*

ταύτης τῆς σύρτεως καὶ τῆς μικρᾶς <π ο λ λ ή>, ὅτι πολλαχοῦ τεναγώδης ἐστὶν ὁ βυθός κτλ.

Eustathius enim in commentariis ad Dionysii orbis descriptionem factis, quibus iam supra usus sum ad Strabonis contextum restituendum, ad Dionysii versus 198 sqq. explicandos Strabonem hunc in modum exscribit: *π ο λ λ ὴ δὲ ἡ τῶν Σύρτεων χαλεπότης, ὥς φασιν οἱ παλαιοί, διὰ τὸ τεναγῶδες τοῦ βυθοῦ, καὶ ὅτι κατὰ τὰς ἐκεῖ ἀμπώτεάς τε καὶ πλημμυρίδας συμβαίνει, κατὰ τὸν Γεωγράφον, ἐμπίπτειν τοὺς παρατυχόντας εἰς τὰ βραχέα καὶ καθίζειν καὶ εἶναι σπάνιον τὸ σωζόμενον σκάφος.* Quae verba patet tam similia esse eis, quae Strabo facit, ut non sine iure censere videamur etiam vocem *πολλὴ* e Strabone haustam esse. —

Vita.

Ego, Aemilius Ricardus Kunze, Chemnitii natus sum anno 1868 a. d. XII. Kal. Nov. Inde ab anno 1870 usque ad annum 1889 perpetuo Dresdae vitam degi. Fidem profiteor evangelicam. Postquam elementa litterarum didici, anno 1879 alumnus gymnasii regii Dresdensis factus sum tunc ab Ilbergio directi. Primo vere anni 1888 rectore Martino Wohlrab naturitatis testimonium adeptus Kal. Apr. eiusdem anni ornatum sumpsi militarem et per 12 menses rei militari traditus fui. Vere tandem anni 1889 almam matrem Lipsiensem adii, ut in studia philologica incumberem.

Docuerunt me viri illustrissimi Biedermann, Brugmann, Cichorius, Gardthausen, Heinze, Hofmann, Immisch, Lipsius, Overbeck, Ribbeck, Richter, Wachsmuth, Ed. et Frid. Zarncke. — Proseminarii philologi postquam per tria semestria extiti sodalis, seminarii quod regunt Lipsius, Ribbeck, Wachsmuth, per tantundem spatium temporis sodalis fui ordinarius, atque in hoc per 6 menses senioris munere functus sum. In societate Ribbeckiana per 3 semestria litteris vacare mihi licuit. Ut interessem seminario historico, benigne mihi permiserunt Cichorius, Gardthausen, Wachsmuth. Jam vero adscribor seminario paedagogico regente Richtero.

Quibus viris doctissimis quantum debeam, grato animo semper reminiscar. Imprimis nunquam desinam Lipsium, Ribbeckium, Wachsmuthium, qui summa liberalitate studia mea adiuverunt, pia memoria prosequi.

---

3 0112 105480344